

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Diascepsin Hanc Theologicam De Coelo Beatorum**

**Pfaff, Christoph Matthaeus**

**Bardili, Eberhard Ludwig**

**Maercklin, Friedrich Jacob**

**Tubingae, 1722**

**VD18 15032876-ddd**

[urn:nbn:de:bsz:31-130208](#)



60A2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.  


DIASCEPSIN HANC THEOLOGICAM  
DE  
**COELO  
BEATORUM,**

divina gratia assistente,

SUB PRAESIDIO

**CHRISTOPH. MATTHÆI  
PFAFFII,**


Theologi primarii, Cancellarii & Præpositi  
Tubingensis

defendent

EBERHARD. LUDOVICUS BARDILI, Alpaco-Zellensis,  
FRIDERICUS JACOBUS MÆRCKLIN, Nicro-Sulzensis,  
JOH. WILHELMUS GENTNER, Leomontanus,  
JOH. CHRISTOPH. LANDAUER, Pfommerensis,  
JOH. FRIDERICUS FABER, Aldingensis,  
Philosophia Magistri & Sacrarum Literarum Studiosi in Illustri  
Stipendio.

---

T U B I N G E,  
LITERIS HIOBI FRANCKII.  
A. MDCCXXII.





## PROLOGUS.

**S**æpius jam iterumque, lector bene-  
vole, nobiscum constituimus, *de  
cælo beatorum* cogitata nostra in  
chartam conjicere. Nec est, quod  
existimes, vile esse & tritum hoc argumen-  
tum. Adeò enim vile non est, ut potius  
longè præstantissimum sit. Qui enim in  
Symbolo profitemur, Christum in cœlos  
ascendisse, qui Patrem, qui est in cœlis, cot-  
tidie invocamus, qui ipsi animos nostros sur-  
sum tollimus & futurarn istam beatamque  
civitatem, quæ æterna est, quæ præstantissi-  
ma est, magno pectoris nostri desiderio an-  
helamus, haud utique peccaverimus, si san-  
cta istâ curiositate tangamur, quæ cœlum  
beatorum penitiore & acroamaticâ tracta-  
tione referat atque ea, quæ de hoc argu-  
mento

A

mento

mento sacræ memorant literæ , curatiùs explicat atque in unum fundit. At verò nec tritum est, ut arbitramur, hoc argumentum. Etsi enim veteres Theologi multa hanc in rem scriperint, recentiores tamen vix aliqua heic memorant , videoasque & veteres & recentiores subinde in determinandâ veritate hîc plurimùm titubare. Haud itaque , ita credimus, malè actum fuerit à nobis, si cogitata præstantissimorum Virorum in unum acervum conglobata dilucidâ breve scriptione digesserimus.

## §. I.

 Oelorum in sacris literis varia est significatio. Qui omnia in unum fusa hîc nosse voluerit, adeat PET. RAVANELLOM (a). Nos breviter, quæ necessaria sunt, dicemus. Scilicet cœlum in sacris literis sumitur mox pro aëre & nubibus, mox pro cœlo isto, stellis toto exornato, & fixis & erraticis , mox pro habitaculo Angelorum, beatorum spirituum & ipsius Dei, cuius & thronus visibile hoc cœlum esse dicitur. Imò cœlum quandoque Deum

(a) in Bibliothecâ sacrâ, voce *cœlum*. Adde JO. CASP. SUICERI Thes. Eccles. in voce *Σελύς*. Taceo alios quam plurimos. Velim tamen, ut autoribus citatis orthodoxæ affundas sal, quo hypotheses eorum diluantur, rectificantur & sublimentur.

Deum ipsum (b) significat, qui in cœlo est ibique maximè gloriam suam manifestat atque & Angelis & beatis se conspiciendum præbet (c), qui & ipsi subinde, quod sunt in cœlo, idem nomen gerunt. Dicuntur & in pandectis divinis cœli cœlorum, quâ voce omnes cœlos & aëreum, & sideratum & cœlum quoque beatorum comprehendendi existimamus, quibus tamen Deus non comprehenditur, qui, licet sit in altitudine cœli Job. XXI. 12. atque in cœlis maximè se manifester, nullo tamen loco definitur sed ubique est 1 Reg. VIII. 27. Jer. XXIII. 24. Jes. LXVI. 1. imò cœlis omnibus superior est eosque ambit, ita, ut in eo consistant. Unde & מִקְוֵה locus nra' ἐξοχὴν Hebrais dicitur, מִלְּוָה שֶׁל מִקְוֵה קַדְשָׁה quia ipse est locus mundi, uti habetur in Midrasch Tillim f. 40. Id quod & confirmat Paulus Col. I. 17. ubi ait, quod מִתְּנוּ כִּי כִּי תְּוִיְּנָה (d). De exercitu cœlorum id notandum, per eundem significari & Angelos & beatos & solem lunamque cum cæteris sideribus, & populum sanctum (e), & si quæ in orbibus cœlestibus creaturæ rationales exstant (f). Sed, uti diximus, nobis heic prolixioribus esse non licet.

## §. II.

Nec de cœlo quoque hoc visibili in longum, latum & profundum differere jam possumus, aut bellas istas & crispas partim quæstiones tangere, quæ communiter heic ventilari à curiosis solent. Num cœlum sit solidum nec

A 2 ne,

(b) Hinc & apud Hebraeos Deus quandoque per vocem שְׁמֵי exprimitur. Vide JO. BUXTORFII Lexicon Talm. Rab. f. 2440. 2441. (c) Vide B. MEISNERI Philos. sobr. P. 1. p. 451. 452. (d) Et sic non opus est, de spatiis imaginariis longam item necesse. (e) Vide Dan. VII. 10. seqq.

(f) Confer Nehem. IX. 6.

ne, cujusnam sit materiæ, igneæ, aëreæ, aquæ, num  
sit corruptibile & mensurabile, quænam ejus sit altitu-  
do, quænam figura, num animatum sit, num sit in loco?  
num dentur aquæ supra cœlum? quonam die id creatum  
sit? quisnam sit cœlorum numerus, & quæ ejusmodi sunt.  
Haud dici potest, quanto conatu Scholastici in his quæ-  
stionibus enodandis versentur, queis plurimas alias ad-  
miscent, ne dignas quidem nobis visas, quas hic saltem  
indicemus. De numero cœlorum monemus pauca. Jam  
verò non est ferè, quod veteres hæreticos in scenam hic  
producamus. Valentiniæ septem cœlos intellectuales  
statuerunt, Manichæi decem, Basiliiani CCCLXV.  
quem numerum vox Αβραχας (ff) in se continet. Ori-  
genes

(ff) En computum:

A	1.
B	2.
P	100.
A	1.
Σ	60.
A	1.
Σ	200.

365.

Docuit autem Basilius, ab ingenito Patre prognatum Ῥω, à  
mente λόγῳ, à λόγῳ Φρόντιον, ab hâc σοφίᾳ ηδὶ δύναμιν, ab  
his virtutes principes & Angelos primos, à primis Angelis cœ-  
lum supremum & alios Angelos & sic deinceps, donec per  
continuas Angelorum propagines 365. celi, quorum num-  
erum nomen Αβραχας seu Αβραχαξ in se continet, formati fue-  
rint. Vide Irenæum L.I. adv. hæreses C. 23. edit. Grabianæ,  
C. 24. edit. Massuetianæ. Sub hoc autem nomine Basili-  
des summum Deum coluit, à quo tanquam principio  
cætera omnia deduxit. Est autem Abraxas idem, quod gen-  
tilium Μιθρας vel Μιθρας, quæ duæ voces itidem numerum

genes existimat, numerum cœlorum in Scripturis sanctioribus haud esse determinatum (g). Jo. Chrysostomus unum saltem cœlum afferit (h). Justinus M. duos saltem cœlos existere ait. Veteres Philosophi mox octo, mox novem cœlos posuere. Alphonsus Rex Hispaniarum decem statuit cœlos mobiles & undecimum immobile, scilicet empyreum. Thomas Aquinas statuit cœlum aëreum, sidereum, crystallinum & empyreum (i). Bonaventura (k) ita habet : Secundum majorem computationem novem numerantur cœli largissimè accipiendo, scilicet 1. aëreum, quod est regio aëris inferior, 2. aethereum, quod est regio aëris superior, 3. olympium, quod est inferior regio ignis, 4. igneum, quod est superior regio ignis, 5. cœlum planetarum, 6. firmamentum, 7. aqueum, 8. empyreum & 9. cœlum Trinitatis (l). Nostrum cœlum in materiale & spirituale dividunt. Illud est vel aëreum, vel sidereum. Hoc vel majesticum potentiaz, gratiaz, gloriae (m), ad quod spectat & beatificum,

A 3

h.e.

365. repræsentant. Ast tām fanatica hæc sunt, ut indigna existimemus, quæ latius diducamus. Confer TH. ITTIGIUM in diss. de hæresiarchis ævi Apostolici Sect. 2. C. 2. §. 2. seqq. p. 100. seqq. & BERN. MONTFAUCONII Diar. Ital. p. 198. 199. & Palæogr. Gr. f. 177. seqq. ubi de figuris Abraxæis & Mithricis ex gemmis agit Vir doctus. Adde Mem. de Trevoux 1701. Sept. Oct. p. 233. seqq. &, quæ de gemmis hisce Basilidianis scripsere ANT. CAPELLUS, P. A. MAFFEJUS, CHIFFLETIUS, alii. Non vacat, rem non necessariam hic excutere latius. (g) L. 6. contra Celium. (h) hom. 4. in Genesin. (i) Summæ Theol. P. 1. q. 68. art. 4. (k) L. 2. sent. dist. 2. (l) Conf. GERHARDUM de vitâ æternâ §. 9. 10. & BALTH. MEISNERUM in Philos. sobr. P. 1. p. 429. 430. (m) Vide GERHARDUM de vitâ æternâ §. 8. 9. & MEISNERUM in Philos. sobr. P. 1. p. 429. 430.

h. e. ποντικούς, & iræ, quod est infernus (n). Reformati, Remonstrantes & Sociniani communiter statuunt 1. cœlum aëreum, 2. cœlum sidereum, 3. cœlum empyreum, quod posterius & ab omnibus ferè Pontificiis statuitur & ab iisdem de fide esse dicitur.

## §. III.

Jam, quid cœlum istud empyreum sit, juvat cognoscere. Cœlum empyreum est locus, an incorporeus an corporeus sit, dubitatur, supra cœlum hoc aspectabile omnesque stellas & aquas supra cœlestes positus, spatum lucidissimum, ipsum immobile, incorruptibile, latissimum, habitaculum Dei, Angelorum & beatorum spirituum, habens mansiones plurimas, in quibus beati omnigena felicitate & beatitudine fruuntur. Et hoc cœlum beatorum primo die esse creatum contendunt, qui id statuunt. Nec negandum est, Scholasticos crassas admodum de cœlo hoc empyreо ideas sibi fingere, quas refert JO. BRENTIUS (o), BALTH. MEISNERUS (p) & JAC. MARTINI (q). Addunt, qui cœlum empyreum statuunt, in illud ascendisse Christum, qui & in eodem jam comprehendatur. Argumenta, quæ pro hac sententiâ suâ afferunt, sunt sequentia. 1. Cœlum hoc vocari habitaculum & thronum Dei Deut. IV. 39. XXVI. 15. XXXIII. 26. 1. Reg. VIII. 30. Ps. II. 4. XI. 5. XXXIII.

14.

(n) Sed verò infernus in sacris literis nunquam cœlum vocatur. (o) Vide JO. BRENTII sententiam de libello D. Henrici Bullingeri, cui titulus est: tractatio verborum Domini: in domo Patris mei mansiones multæ sunt. p. 34. b. seqq. Opp. T. 8. f. 889. 890. (p) in Phil. sobr. P. 1. p. 439. 440. (q) in anti-Becano P. 2. p. 66. seqq. Adde QUENSTEDII Syst. Theol. P. 1. f. 439.

14. Jes. LXVI. 1. Matth. VI. 9. imò Deum esse altiorem cœlis & profundiorem inferno Job. XI. 8. II. in hoc cœlum Christum ascendisse Marc. XVI. 19. Hebr. IV. 14. IX. 24. & enectum fuisse supra omnes cœlos Eph. IV. 10. quibus & altior factus sit Ebr. VII. 26. III. & hoc cœlum, in quod Christus ascendit, esse sursum, ubi sedeat ad dextram Dei Col. III. 1. 2. Hebr. I. 3. Act. VII. 56. in quo & jam contineatur Act. III. 21. unde & rediturus iste sit ad judicium Act. I. 11. 1. Thess. IV. 16. IV. cœlum hoc esse habitaculum & Dei & Christi & beatorum Joh. XIV. 23. Phil. III. 20. paratum à fundatione mundi Matth. XXV. 34. V. esse hoc ipsum illud cœlum tertium, in quod raptus fuit Paulus 2. Cor. XII. 1. seqq. tertiumque dici eapropter, quod primum sit aëreum, secundum sidereum, tertium spirituale, beatorum sedes. Ita Hebreos cœlum partiri in tres regiones, nubiferam, astriferam, Angeliferam, quarum prima ipsis dicatur οὐρανός, secunda οὐρανός, tertia οὐρανός, & prima sit γῆ, secunda οὐρανός, tertia οὐρανός, quod ad 2. Cor. XII. 2. notat H. GROTIUS. Nec dubitare de hisce posse, qui VI. consideret, cœlum beatorum nobis in sacris literis depingi ut locum certum, in quem recipiendi aliquando sint beati Matth. V. 12. 16. VI. 20. regnum cœlorum, ubi beati ἀνακλιθήσονται cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo Matth. VIII 11. terra viventium Psalm. XXVII. 13. CXVI. 9. CXLII. 6. mundus futurus Hebr. II. 5. Paradisus Luc. XXXIII. 43. Apoc. II. 7. οὐρανός Matth. III. 12. tabernacula pacis Jes. XXXII. 18. tabernaculum & mons sanctus Psalm. XV. 1. XXIV. 3. Apoc. XIV. 1. templum Dei Apoc. III. 12. ἀιώνας οὐρανοί Luc. XVI. 9. quæ mox comm. 22. vocuntur ἡ κόλπος τῆς Αβερράου, inter quem & infernum

χάραξ

χάρη μέρεια interjaceat commun. 26. οἰκεία ἀχειροποίητος,  
ἀπόνιστος τῷ Ιωάννῃ 2. Cor. V. 1. τὸ ἄγιον Hebr. IX. 12.  
πόλις θεμελίας ἔχουσι, ἡς Τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεὸς Hebr.  
XI. 10. patria & domus cœlestis à Deo parata Hebr. XI.  
16. Hierosolymæ cœlestes, civitas Dei vivi, ubi Christus,  
Angeli, beati Gal. IV. 26. seqq. Hebr. XII. 22. seqq.  
ἡ πόλις ἡ μέλλουσα Hebr. XIII. 14. quæ pleniūs describatur  
Apoc. XXI. 10. seqq. XXII. 1. seqq. Addunt denique  
VII. cœlum hoc etiam esse habitaculum Angelorum Dan.  
VII. 10. Matth. XVIII. 10. Hebr. XII. 22. Jud. 6. VIII.  
& esse igneum Luc. II. 9. Matth. XVII. 2. Act. IX. 3. &  
lucidissimum Apoc. XXI. 11. seqq. Ex his omnibus pa-  
ttere videtur iis, qui cœlum empyreum statuunt, esse su-  
pra cœlos aspectabiles beatorum certum quoddam habi-  
taculum, creatum illud, ubi & Deus sit & Christus &  
Angeli, cuius, qui modestiores sunt, qualitates & indo-  
lem determinare nolunt.

## §. IV.

Constat, Theologos nostros cœlum empyreum con-  
coquere non posse. I. quia crassum ejusmodi cœlum  
Mahumelanorum crassas de cœlo ideas olere videtur ali-  
quatenus. II. quia ipsum nomen barbarum est. Vide,  
quid ipse dicat PETAVIUS (r): *Quod ad cœlum istud  
omnium supremum neque sub aspectum cadens attinet, mini-  
mè id quidem inserviari liceat, esse beatum quoddam celeste su-  
pra omnia domicilium, Angelis & sanctis omnibus attribu-  
tum. Sed, cujusmodi sit, non nisi conjecturis & humanis  
commentis afferitur. Sanctus Thomas (s) de hoc cœlo non  
aliter constare dicit, quam ex Strabi & Bedæ autoritate, tūm  
etiam*

(r) de opificio sex dierum L. I. C. 2. §. 8. f. 125. (s) in summâ  
Th. P. I. qu. 66. art. 3.

etiam Basili. Sed multò plures ejusdem meminere, nec tam  
men empyreum nominant, quæ vox nihil est ac barbara.  
Neque enim ὁ εὐπυρεύοντας dicitur, ut sit igneus, sed εὐπυρεύοντας.  
Sed, utut habet, nullam ejus mentionem fecisse puto Mosen.  
Quod Aben Ezra ex articuli Hebraici proprietate confirmat:  
quia scriptum est בְּשָׂמָחַת תִּנְחַזֵּק digitum intenderet in  
eos orbes, quos oculis suspicimus. Verum neutiquam id ne-  
cessē est. Hinc III. & capropter cœlum empyreum suspe-  
ctum est, quòd ejus creatio in Genesi haud memoratur.  
Lxx. IV. cœlum beatorum ubi sit & quale id sit, deter-  
minare nemo potest. Vide Jes. 64. vs. 4. 1. Cor. 2. vs. 9.  
Neque id V. determinare sustinuit Apostolus Paulus licet  
illuminatissimus 2. Cor. 12. vs. 2. 3. VI. Angeli infan-  
tum, qui in terrâ sunt, semper vident faciem Patris in  
coelis Matth. 18. vs. 10. Ergò coeli non sunt præcisè ul-  
trà stellas siti. VII. Uti infernus malè dicitur esse in  
centro terræ, et si ita describatur in sacris literis Eph. 4.  
v. 9. Luc. 16. v. 23. seqq. ita nec cœlum dici potest præ-  
cisè exstare supra stellas, licet ita describatur. VIII. Cœ-  
li omnes creati conflagrabunt & peribunt Matth. 24. v. 35.  
Luc. 21. v. 33. Jes. 65. v. 17. 13. v. 13. 34. v. 4. Ezech. 32.  
v. 8. Matth. 5. v. 18. 2. Pet. 3. v. 7. 10. 12. Ps. 102. v. 27.  
Apoc. 20. v. 11. 21. v. 1. & novi demūm creabuntur Jes.  
65. v. 17. 66. v. 22. 2. Pet. 3. v. 13. Apoc. 21. v. 1. Ergò  
juxta sacras literas cœlum beatorum, quatenus dicit lo-  
cum creatum, nondum creatum est. Ergò cœlum em-  
pyreum, quod peribit, non est cœlum beatorum, quod  
est æternum Luc. 16. v. 6. 2. Cor. 5. v. 1. Ebr. 12. v. 28.  
IX. Cœlum empyreum multa absurdā secum vehit, quæ  
verbis JO. GERHARDI enarrabimus. Ita verò ille (t):

B

Si

(t) in loco de vitâ æternâ §. 170. f. 367. a.

Si cælum beatorum est corporeum aliquod domicilium proxime si mamentum ambiens, dubitandum erit, an Christus sit supra nos vel infra nos vel ad latus, propter rotunditatem machine cœlestis, melioris conditionis erunt aves, quippe beatorum cælo propiores (u), quam pii homines, beati, qui in unâ cæli extremitate mansionem suam habent, ad alios in alterâ extremitate habitantes raro ac tardè commeabunt proper maximam utriusque distantiam, ac, si Christus in una cæli extremitate versetur, reliquis beatis in alterâ parte opposita degentibus supervisissimo ipius conspectu & colloquio carendum erit, & qua sunt hujus generis alia, que ex puerilitate illâ de cælo beatorum cogitatione colligi possunt. Si cælum beatorum, in quo Christus visibiliter & localiter juxta adversariorum hypothesis versatur, immo eodem concluditur, est ultra & supra omnes orbes cœlestes, quomodo Stephanus intentis in cælum oculis per tantum intervalum Jesum stantem à dextris Dei videre potuit? Act. 7. v. 55. X. Cum Christus supra omnes coelos fuerit elevatus Eph. 4. v. 10. Ebr. 7. v. 26. certè coelo Empyreo includi non potest, quem itidem, si quidem existat, superavit. XI. Deo certus habitaculi locus adscribi propriè nequit. I. Reg. 8. v. 27. Jes. 40. v. 12. Ps. 139. v. 7. seqq. Job. 11. v. 8. Jes. 46 v. 1. Jer. 23. v. 24. Et sane inhabitat is lucem inaccessam I. Tim. 6. v. 16. & gloria ipsius, coelum ipsius, in quo ab æterno fuit, est ubique. XII. Coelum, in quo Christus est, ex quo descendit, & in quod ascendit, est coelum glorie & majestatis divinæ, quod loco circumscripti nescit. Joh. 3. v. 13. Eph. 4. v. 10. quod & in his terris conspicuum subinde se præbet Matth. 17. v. 2. Hinc &c.

(u) Hæc ex Augustino L. 2. de sermone Domini GERHARDUS deponit.

¶ ἐπεργνα dona à fidelibus in terris versantibus possidentur. Eph. 1. v. 3. Hinc & fit, ut Diabolus subinde in coelo compareat, quia Deus coelum gloriæ suæ ubique secum gerit Job. 1. v. 6. 2. v. 2. 7. (x) Dies me deficeret, si omnia ista Theologorum nostrorum argumenta, præstantissima illa, queis coelum empyreum jugulant, enarrare singula vellem (y). Audiamus itaque laken, quomodo ii tela adversariorum, pro coelo empyreo quæ militant, cludent & diffent.

§. V.

Ajunt itaque illi, maximè antiquiores, coelum non esse locum certum eumque creatum & supra coelum fidereum positum, sed statum beatitudinis à statu damnationis infinitis parasangis distantem, qui status beatitudinis sub figurâ loci in sacris literis metaphorice depingatur. Ita, quando coelum idque visibile dicatur thronus & sedes Dei, θεοπεπως hoc, non propriè capendum esse, quemadmodum & id θεοπεπως capendum sit, quando Deus dicatur in sacris literis ascendere & descendere.

B 2

Ad-

(x) Confer hic in primis C. E. BROCHMANDI Synt. Theol. P. 2. f. 635. seqq. B. MEISNERI Philos. Sobr. P. 1. p. 431. & B. MENZERI Opp. Theol. P. 1. p. 427. Cœlum enim subinde in sacris literis denotat dominium Dei Dan. IV. 26. sub quo & sunt Diaboli, qui tamen non sunt in cœlo gloriæ sed cœlo iræ, hoc est inferno. Vide eundem BROCHMANDUM l. c. & MEISNERUM l. c. p. 452. (y) Vide post JO. BRENTIUM Opp. T. VIII. B. MEISNERI Philos. Sobr. P. 1. p. 439. seqq. p. 550. seqq. JAC. MARTINI Anti-Becanum P. 2. p. 66. seqq. ABR. CALOVII in Synt. loc. Theol. T. 3. p. 996. seqq. & J. A. QUENSTEDIUM in System. Theol. P. 1. f. 438. seqq.

Addunt, regnum coelorum subinde describi in iisdem modò nuptiarum & epuli ad instar, Luc. 22. v. 29. 30. modò ut pascua uberrima, ætas fertilissima, civitas pulcherrima, quod tamen crasè sumendum non sit sed spiritualiter, ita & Hierosolymas coelestes modo quoque corporeo describi, licet spirituales. Apoc. 21. v. 10. seqq. Eodem modo Prophetas Vet. Test. per ceremonias Leviticas cultum Novi Testamenti adumbrâsse & regnum Messiae vocabulis ex cultu Levitico desumitis descriptisse, nec tamen inde inferri tûm potuisse, cultum Mosaicum adhuc in Novo Testamento duraturum. Coelum beatorum esse coelum ἀκεροποίησον 2. Cor. 5. v. 1. Hebr. 9. v. 24. adeoque increatum. Huic coelo superiorem quandam locum in sacris pandectis assignari non ratione sitûs, sed ratione excellentiæ. Sic ipsum Deum dici in excelsis Ps. 93. v. 4. 113. v. 5. Luc. 2. v. 14. quod non ἡστιν de loco aliquo excelso sed τοιωτῶς de celsitudine majestatis explicandum sit. Vitam æternam, uno verbo, in sacris literis describi symbolicè, figuratè, parabolicè ac hieroglyphicè, è quibus allegoricis loquendi formulis præter generalem dulcedinis & felicitatis conceptum quippiam determinare hominis foret temerarii & ταῦτα νοήσαι ταῦτα κατέλυψιν ἀποβαῖσθαι (z). Supra coelum ergo dici non ratione localis situationis sed ratione sublimis statûs & conditionis, prouti dicit David: exaltabo te, Domine, Ps. 145. v. 1. & Deus est excelsus super omnes gentes Ps. 113. v. 4. Nec dici posse, si cœlum beatorum non sit locus & beati non sint in loco, itaque eos esse nullibi. Jam enim primò & mundum non esse in loco quodam creato & tamen non esse nullibi sed in Deo ουνικάντα. Secundò beatos esse in manu Dei Sap. 3. v. 1. in sinu Abrahæ Lue. 16. v. 22. sub altari Apoc. 6. v. 9. esse apud Deum

(z) Vide CALOV. in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1103. seqq.

Deum & Christum, esse in Deo illocaliter. Hinc in ter-  
ris esse posse, qui in coelis sit, uti de Angelis constet  
Matth. 18. v. 10. Luc. 1. v. 26. Nullum denique id esse,  
quod objiciatur, cœlum beatorum esse vel creatum vel in-  
creaturn. Si posterius, fore ipsum Deum, vel duo fo-  
re increata, quod absurdum sit. Si prius, dari ergo  
certum beatitudinis locum, qui creatus sit, dari ergo  
coelum empyreum. Jam enim responderi posse, vel  
coelum beatorum esse Deum ipsum, vel saltem glo-  
riam & majestatem divinam, vel dari h̄ic tertium,  
coelum enim beatorum neque esse creatum neque in-  
creaturn sed creabile & creandum, vel coelum beato-  
rum principaliter esse statum, minus principaliter περι  
beatorum, discretum à περι damnatorum, idque creatum.  
Scilicet in partes eunt h̄ic Theologi, quorum varie  
sententiae jam explicandæ nobis sunt & adspersa de-  
nique nostra ἐπίκρισις.

## §. VI.

Sunt igitur primò, qui existimant, coelum beato-  
rum esse ipsum Deum (a). Ita maximè PHIL. NICO-  
LAI (b), ita JACOBUS MARTINI (c), ita BALTH.  
MEISNERUS (d), ita ferè ABR. CALOVIOUS (e) &  
J. A. OSIANDER (f), qui vero omnes addunt, coe-  
lum beatorum esse majestatem & gloriam divinam, in-

B 3

quā

(a) Nolim verò, hanc sententiam ut affinem dicas errori Gen-  
tilium quorundam, maximè & Persarum, qui existimant,  
coelum naturale esse Deum. (b) L. I. de omnipræf. Chri-  
sti C. 8. (c) in AntiBecano P. 2. p. 71. (d) in Phil. sobr.  
P. 1. p. 457. sqq. (e) in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1003.  
(f) in Coll. Syst. P. 6. p. 225. Addi potest J.G. DORSCHEUS  
de S. Cœna contra Zwingerum p. 220. ubi & Patres hanc  
iudicem. allegat, itemque in Theol. Zach. P. 1. p. 192..

quâ Deus semper fuerit, qui & inde ab æterno sic in coelis suis existiterit, immo coelum beatorum esse statuta illum beatitudinis, in quo beati versentur, non locum. Fuit hæc mens JO. BRENTII contra HENR. BULLINGERUM, Theologum Tigurinum, fuit & hæc mens JACOBI ANDREÆ, quam & in Colloquio Mulifontano A. MDLXV. Theologis Palatinis declaratam dedit atque in scriptis suis propugnavit, fuit & hæc sententia JO. HULSEMANNI (g) & JO. ADAMI OSIANDRI (h), Theologorum acutissimorum. Nec tamen dissimulandum, esse, qui nihilominus existiment, cœlum beatorum, licet πρῶτος statum beatitudinis coelestis denotet, δευτέρος tamen etiam significare aliquod πρῶτον, in quo beati coelites existant. Ex nostris MELCH. NICOLAI (i) allegamus, cuius latere Magnificum D. HOFFMANNUM nostrum (k) adjicimus. Accedunt JO. GERHARDUS (l), JAC. MARTINI (m), C. E. BROCHMANDUS (n) B. MEISNERUS (o), atque alii quam plurimi (oo), qui verò definire nolunt, ubinam sit hoc πρῶτον, et si sint, qui dicant, quod sursum sit (p), qui & dissentiant, num

πρῶτον

(g) in resp. ad app. Calixti adjectadiälysi probl. Calixt. p. 413. sqq.  
Adde SCHERZERI Brev. Hülſ. encl. p. 1099. sqq. (h) Vide Coll. Syst. P. 2. p. 68. sqq. P. 6. p. 124. 228. & Theol. Caf. P. 6. p. 548. sqq. (i) in Symbolo Lutherano vindicato p. 157. 158.  
(k) in Synopsi Theol. dogm. p. 289. (l) in loco de vita æternâ paſſim maximè §. 8. 3. 5. 36. (m) in Anti-Becano P. 2. p. 73. 74.  
(n) in Syst. Theol. P. 1. f. 373. P. 2. f. 631. (o) in Phil. sobr. P. 1. p. 459. 460. (oo) e. g. QUENSTEDIUS in Syst. P. 1. f. 438. (p) idem MEISNERUS l. c. p. 459. & B. MENZERUS Opp. Theol. T. 2. p. 51. Alii dicunt, illud sursum Col. 3. vi. 2. non designare locum supramundanum, in

πᾶς hoc creatum sit an increatum , vel & hanc quæstionem decidere nolunt( q ). Coelum beatorum esse creatum πᾶς & quidem materiale, statuit GEORGIUS CALIXTUS , cuius sententia ad coelum empyreum proximè accedit , ab HULSEMANNO refutata , spirituale verò magno nisu asseveravit JO. CONR. DANNHAWERUS , quem ex recentioribus secutus est Theologus quondam Rostochiensis judiciosissimus JO. FECHTIUS. Increatum verò hoc πᾶs esse Tübingenses nostri assertore , illudque comparavere cum πᾶs , in quo mundus est. Eandem sententiam tenent GERHARDUS(r) & BROCHMANDUS & CALOVIUS. Idem tamen coelum Dei , quod est ubique , à coelo beatorum distinguunt , quod non est ubique , sed suum πᾶs habet , quod definir. Ita & illud est æternum , hoc secus , scilicet à parte ante. Quæritur & , in quodnam coelum Christus ascenderit , num in coelum quoque sideriferum & empyreum , num in πᾶs beatorum creatum , vel saltem in coelum gloriæ & majestatis divinæ. Primum ajunt , qui coelum empyreum statuunt. Secundum , qui , rejecto coelo empyreo , nihilominus coelum beatorum creatum asserunt. Tertium , qui utrumque negant. Etsi autem nimis subtilitatis & curiositatis hoc negotium sit , tamen opus est , tūm propter adversarios , tūm , ne & ipsi confusis hīc ideis indulgeamus , controversias has penitus eviscerare & ducere.

quo Christus fit , sed indicare τὸ sursum majestatis & cœlestis sublimitatis , uti Joh. 3. vñ. 3. 19. 11. Jac. 1. vñ. 17. 3. vñ. 15. 37. Gal. 4. vñ. 16. Vide FEURBORNİUM in Opp. Theol. p. 618. & MELCH. NICOLAI in Symb. Luth. p. 157. 158. ubi ait: Cœlum beatorum esse sursum , pro animi delirio habemus. ( q ) Vide GERH. l. c. §. 36. 40. ( r ) de vita at. §. 40.

ducere , atque , quod jam promisimus , *Theologiam Theologicam addere.*

## §. VII.

Esse autem coelum beatorum  $\pi\tilde{\nu}$  quoddam , ita probant Theologi . I. ex appellatione . Scriptura vocalis certum  $\pi\tilde{\nu}$  significantibus coelum describit . Luc. 19. v. 26. Joh. 12. v. 26. 14. v. 2. 17. v. 24. 2. Cor. 5. v. 1. 1. Pet. 1. v. 4. Ap. 12. v. 4. II. ex distinctione . Scriptura enim  $\pi\tilde{\nu}$  beatorum à  $\pi\tilde{\nu}$  damnatorum distinguit Luc. 16. v. 26. & beatos representat in unam congregationem unumque  $\pi\tilde{\nu}$  fusos Hebr. 12. v. 22. III. ex opposito inferni , qui est *tόπος* Luc. 16. v. 28. IV. ex necessariā consecutione , quia beati sunt aut alicubi & in  $\pi\tilde{\nu}$  , aut nullibi , quod posterius nemo dicet ( s ). Ethic quidem satis convenit Theologis . An verò hoc  $\pi\tilde{\nu}$  sit creatum vel increatum , spirituale vel corporeum , intrahunc mundum , vel extra hunc mundum , quænam sit ejus quidditas , qualitas , situs , determinatu difficile est . En quid GERHARDUS ( t ) ajat : *Cælum beatorum tripliciter potest accipi , primò objectivè & efficienter , secundò formaliter , tertio subjectivè . Si primo modo accipiatur cælum beatorum , est ipse Deus creator . Si secundo modo , cælum beatorum est aliquid à Deo distinctum , videlicet , gloria ac latitia cœlestis in ipsis sanctis , non tamen est substantia corporea in prima creatione à Deo producta . Si tertio modo , dicimus ,  $\pi\tilde{\nu}$  illius quidditatem , qualitatem ac situm in Scripturis non esse nobis revelata . Hxc GERHARDUS .*

## §. 8.

( s ) Nec tamen sequitur exinde , cælum ipsum esse  $\pi\tilde{\nu}$  , si cœlitates sunt in  $\pi\tilde{\nu}$  , uti non sequitur : cœlibes sunt in  $\pi\tilde{\nu}$  , ergo cœlibatus est  $\pi\tilde{\nu}$  . ( t ) de vitâ aeternâ §. 40.

§. VIII.

Sunt tamen, qui rem determinent ajantque, περὶ illud esse creatum & vel materiale vel spirituale, et si situm ejus definire nolint. Argumenta eorum sunt desumpta I. ex appellatione coeli beatorum. Vocatur civitas, domus, tabernaculum, paradisus, templum, locus. Vide supra §. 3. II. ex ipsis creatione Gen. I. vs. 1. Ps. 33. vs. 14. Prov. 8. vs. 27. III. ex Apostolicā assertione Hebr. II. vs. 10. 2. Cor. 5. vs. 1. IV. quia implicat, coelum beatum esse increatum. V. quia expressè dicitur creandum Jes. 66. vs. 22. 2. Pet. 3. vs. 13. Si vero coelum beatum post consummationem seculi erit coelum creatum, quidni & ante consummationem seculi? Matth. 25. vs. 41. Ubi & hoc notandum, illam creationem non esse ex nihilo sed saltem innovationem. Ita Jes. 65. vs. 17. & Ecclesia Novi Testamenti dicitur novum coelum & nova terra, quæ tamen per creationem ex nihilo haud producta fuit. Et hæc est, uti jam diximus, sententia CALIXTI (*u*), DANNHAUERI (*x*), FECHTII (*y*), atque ex veteribus DAV. RUNGII (*z*).

§. IX.

Qui περὶ beatorum increatum esse ajunt, ita rationes suas componunt. Et I. quidem provocant ad silentium Scripturæ sacræ, quæ nullibi istam creationem memoret. II. Aut, coelum beatum dici coelum novum Jes. 65.

C

vs. 17.

(*u*) Vide HULSEMANNI respons. ad appendicem CALIXTI dialysi apologeticæ problematis Calixtini adjunctam p. 413. sqq. Adde tamen CALIXTUM de supremo judicio p. 123. 124. (*x*) in hodis. p. 762. 763. 1479. sqq. & in hodom. Spir. Calv. p. 814. sqq. (*y*) in lect. Theol. in Syllogen p. 195. 196. (*z*) Vide GALOV. Syft. Loc. Theol. T. 3. p. 1012. sqq. & maximè B. MEISNERUM in Phil. lobr. P. 1. p. 455. 456.

vſ. 1. 7. 66. vſ. 22. 2. Pet. 3. vſ. 13. Apoc. 21. vſ. 1. Si itaque jam creatum fuerit in primā creatione, novum id dici non posse. Addunt III. regnum coelorum in sacris li-  
 terris non dici creatum sed præparatum Ies. 64. vſ. 4.  
 Math. 25. vſ. 34. 1. Cor. 2. vſ. 9. per æternam prædesti-  
 nationem. Arguant porrò IV. omnes coelos in consum-  
 matione seculi igne perituros 2. Pet. 3. vſ. 7. 11. ut no-  
 vum succedat 13. Jam verò coelum beatorum conflag-  
 rare non posse. Esse enim id æternum 2. Cor. 5. vſ. 1.  
 Hebr. 12. vſ. 28. Adjiciunt V. quemadmodum non sequa-  
 tur, ex eo, quod Deus dicitur *esse in cælo, habitare in*  
*cælo, descendere de cælo*, coelum Dei esse locum aliquem  
 corporeum & creatum, sic nec ex eo, quod beati di-  
 cuntur *recipiendi in cælum, futuri in cælo, sequi,* quod  
 coelum sit locus creatus. Addunt, quamvis dicamur ab-  
 esse à Domino, qui in terris adhuc sumus 2. Cor. 5. vſ. 6.  
 tamen hoc non intelligendum esse ratione præsentia  
 ipsius divinæ, ac si Deus prælens nobis haud esset A&t. 17.  
 vſ. 27. 28. sed ratione manifestationis hujus præsentia bea-  
 tificæ 1. Thess. 4. vſ. 17. 1. Joh. 3. vſ. 2. 2. Cor. 5. vſ. 7.  
 Imò VI. dicunt, sicut infernus non sit locus quidam  
 corporeus, ita nec coelum esse locum corporeum.  
 Ajunt VII. si coelum esset locus corporeus, illud fore  
 longum, latum & profundum domicilium, quæ nimis  
 crassa sit coeli idea. Et VIII. beatos, utpote spirituales  
 non opus habituros loco corporeo, quia nec Angeli eo  
 indigent. Urgent denique, si coelum beatorum dica-  
 tur creatum, determinari non posse, num die primo  
 vel secundo hexæmeri creatum sit, num sit materiale  
 an immateriale (a) ubicunque coeli creatio ponatur in  
 sacris literis, coelum aspectabile poni, descriptionem  
 coeli

(a) Vide hic B. MEISNERI Philos. sobr. P. 1. p. 549. lqq.

cœli beatorum in sacris literis esse parabolicam , meta-  
phoricam & mysticam , & quæ ejusmodi sunt ( b ). Præ-  
cipua verò , quæ ad hanc thesin firmandam pertinent ,  
petere placet ex Breviario Hülsemanniano enucleato } O.  
AD. SCHERZERI . Hic luculentissimè probatum vi-  
deas , περὶ beatorum esse increatum . Provocatur I. ad  
Joh. 17. v. 5. 24. ubi cœlum beatorum dicitur claritas ,  
quam Christus apud Patrem habuit ab æterno & ad quam  
in exaltatione redit , ad quam & vocat electos . Hæc  
verò claritas est increata , æterna . Scilicet idem est Dei  
Christi & beatorum coeum , coelum gloriæ , ubi Deus  
felicitate essentiali , infinitâ , independente gaudet , beati  
finitâ , quatenus ejusdem pro modulo finitatis suæ capa-  
ces sunt . Hoc est coelum illud æternitatis , quod Deus ,  
qui in excelsis est , inhabitat Jes. 57. v. 15. Nota hic ,  
lector , controverti inter Theologos , quod ἀς εἰ μηδέπω  
νο ἀμεν , num coelum beatorum à coelo gloriæ sit  
distinctum . Negat id HULSEMANNUS . Eò enim per-  
venient beati , ubi Christus est Joh. 12. v. 32. 17. v. 5.  
24. 14. v. 3. 4. Col. 3. v. 2. Porro τὸ περὶ beatorum  
dicitur tabernaculum Dei cum hominibus , qui habitat  
cum illis Apoc. 21. v. 3. Imò templum civitatis coele-  
stis ipse Deus est & Agnus v. 22. Quid ? Coelum bea-  
torum vocatur locus etiam ipsius Dei Jes. 26. v. 21. Hos.  
5. v. 15. Mich. 1. v. 3. Nec dantur duo περὶ increata ,  
unum Dei , alterum beatorum . Ergo beatorum περὶ est  
est etiam περὶ Dei , imò ipse Deus . Dan. 4. v. 26. Et ta-  
men beatitudo beatorum est diversa numero à beatitudi-  
ne Dei . Unde Joh. 17. v. 5. Christus distinctè & no-  
tanter ait : ut ibi sint , ubi ego sum ( in eodem περὶ felici-  
ta-

( b ) Vide GERHARDUM de vitâ æternâ §. 40.

tatis ) & videant ( non habeant eandem ) claritatem ( de quâ ibi loquitur , verè immensam ac infinitam ) meam &c. ut sic omnino maneat , coelum illud majestaticum unisoliq[ue] Deo proprium esse. Denique , cùm Christus non ascenderit in περιπολη diversum ab eo , in quo erat ante incarnationem & ante mundum conditum Joh. 3. v[er]o 13. 6. v[er]o 36. illud verò coelum gloriae sit & περιπολη aeternum & increatum , & eò etiam perveniant beati Joh. 17. v[er]o 5. patet , & περιπολη beatorum idem esse cum περιπολη Dei & esse increatum. Provocat II. SCHERZERUS ad 2. Cor. 5. v[er]o 1. & hoc necnit argumentum : Quod ira est ἀχειροποίητον , ut sit aeternum , id est increatum. Cùm enim h[ic] τὸ ἀχειροποίητον & τὸ aeternum aequipolleant , patet , dici non posse , ἀχειροποίητον h[ic] dici coelum beatorum saltem ea propter , quod hominum manibus factum non sit. III. ita insurgit laudatus Theologus : Quod ante creationem mundi iam paratum fuit , illud est aeternum & increatum. Atqui coelum beatorum Matth. 25. v[er]o 34. Ergo . Scilicet paratio illa non est creationis sed assignationis per aeternam praedestinationem. IV. ait , Christum non ingressum esse in tabernaculum χειροποίητον , hoc est , & τάυτης τῆς κλίσεως Hebr. 11. v[er]o 11. 24. Ergo coelum illud esse increatum , in quod ingressus sit , quo & assummat beatos. V. Objectionem CALIXTI : Cælum beatorum aut est περιπολη creatum , aut Deus , aut nihil , sed neque hoc , neque illud , ergo istud , ita exibilat , dari quartum , nempe aliquid nobis incognitum 1. Cor. 2. v[er]o 9. imò dari quintum , nempe περιπολη demum creandum Matth. 25. v[er]o 34. Jes. 65. v[er]o 17. 66. v[er]o 22. 2. Pet. 3. v[er]o 13. Apoc. 21. v[er]o 1. et si ipse non existimet , περιπολη beatorum creandum demum esse , sed ajat potius , beatos in περιπολη increato semper versaturos. Et concedunt sanè alii , περιπολη beatorum esse ipsum.

ipsum Deum (c). Porro VI. arguit : Si coelum beatorum jam existit Matth. 25. vs. 34. Joh. 14. vs. 2. 2. Cor. 12. vs. 2. tunc non demum creandum est, creatione propriè sic dicta, sed saltem manifestandum omnibus beatis post judicium extremum in gloriam Domini una introductis. Denique VII. ita init: Si coelum beatorum adhuc creandum est, tum vel melioris vel deterioris vel æqualis conditionis erit cum περι beatorum præsente. At verò nullum dici sine absurditate potest. Non primum. Quid enim quæsto melius esse posset coelo SS. Trinitatis & Corporis Christi , in quod Elias, in quod Enochus, in quod omnes beati recepti sunt ? Non secundum. Ita enim beatorum deteriora foret conditio post consummationem seculi. Ita Deus creaturus esset coelos novos præstantiâ & eminentiâ priori beatorum περι deteriores. Non tertium. Si enim æquale est περι præsens beatorum τῶ περι corundem futuro , nulla adparet ratio , cur priore destructo περι novum creaturus esset Deus. Itaque περι præsens non destruitur nec novum quoad substantiam creatur, sed præsens saltem manifestatur omnibus , qui ob tantam multitudinem consortium in unum congregatam & gloriâ Domini circumfusam novum hoc coelum tanquam recens creatum & sibi antea non visum mirabuntur. Sed hæc quidem ex ipso HULSEMANO (d) desumvit SCHERZERUS. Addendus hic est BALTH. MEISNERUS , qui in Philosophiâ sobriâ (e) itidem statuit, coelum beatorum esse increatum , itemque JAC. MARTINI (f) , qui & hoc maximè urget, Angelos, qui in terris apud nos sint, simul esse in coelis

C 3

apud

(c) Vide OSIANDRI Colleg. P. 6. p. 225. (d) Vide ejus vindicias S. Scripturæ, in operibus posthumis p. 184, 185.

(e) P. I. p. 546. sqq. (f) in Anti-Becano P. 2. p. 71. sqq.

apud Deum. Matth. 18. v. 10. Ebr. 1. v. ult. quod fieri nequiret, si cœlum esset creatum & supra nos existaret. Ita ille. Addendus & est C. E. BROCHMANDUS (g), & J. G. DORSCHELUS (h) & ABR. CALOVIUS (i) qui omnes existimant, cœlum beatorum non esse locum propriè sic dictum sed saltem metaphoricum, et si πτ̄ beatorum distinctum utique sit à πτ̄ damnatorum, quemadmodum status beatorum à statu damnatorum est distinctissimus. Aliud quippe est cœlum gloriæ, aliud iræ, & μέγα h̄ic est χασμα Luc. 16. Nec, ubi beati in unum congregati sunt, dannati in unum congregati sunt, qui sunt alibi. Ita & cœlum Dei, quod ubique est, est distinctum à coelo Angelorum Matth. 21. v. 25. Luc. 15. v. 18. & beatorum, quod non est ubique, sed saltem, ubi sunt Angeli & beati & immediatâ & beatificâ Dei visione fruuntur. Unde cœlum beatorum est in coelo gloriæ, ita tamen, ut cœlum gloriæ & majestatis divinæ cœlum beatorum exceedat (k). Hoc verò cœlum gloriæ divina majestas est Joh. 3. v. 13. è quo mittitur & Spiritus S. I. Pet. 1. v. 12. unde Deus prospicit Ps. 14. v. 2. 33. v. 13. unde & preces exaudit I. Reg. 8. v. 32? Ps. 19. 7. Unde & cœlum extra hominem quoque est, quod contra Quackeros notavit SAM. SCHELGUIGIUS (l).

## §. X.

(g) in Syst. Theol. P. 1. f. 340. sqq. (h) de S. Cœnâ contra Zwingerum p. 218. sqq. (i) in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1005. Tacemus FEURBORNIUM in Opp. Theol. p. 618. aliasque plures. (k) Vide Theologos hæc ulterius explanantes B. MEISNERUM in Philos. sobr. P. 1. p. 452. C. E. BROCHMANDUM in Syst. Theol. P. 2. p. 633. A. CALOV. in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1000. & J. A. SCHERZERUM in Brev. Hülsem, encl. p. 1110. (l) in Quackerismo confutato p. 585.

§. X.

Jam de ascensione Christi in cœlos dicenda quædam sunt. Existimant adversarii, Christum ascendisse loco-liter primò in cœlum aëreum, ubi nubes ipsum subdu-xerit, dein perrupisse cœlum sidereum, tertio aqueum, ubi aquæ supracœlestes esse dicuntur, demùm intrâsse cœlum empyreum, in cuius summitate sit & quo cuni Angelis & beatis capiatur. Probant id ex eo, quoniam I. dicitur ascendisse in cœlum. Scilicet ἀνελήφθη suscep-tus est in coelum Marc. 16. vſ. 19. II. ita, ut nubes ipsum sub-duceret Act. 1. vſ. 9. III. Postea pervasit cœlos. *Habemus enim Sacerdotem magnum διεληλυθότα τὸς χραντὸς* Hebr. 4. vſ. 14. IV. donec supra omnes cœlos οὐαράνω πάντων ὁργῶν ascenderet Eph. 4. vſ. 10. & ὑψηλότερος τῶν ὡρανῶν evaderet Hebr. 7. vſ. 26. Addunt V. in hoc coelo beatos esse cum Christo Hebr. 12. vſ. 22. sqq. Phil. 1. vſ. 23. Joh. 14. vſ. 3. 17. vſ. 24. VI. Hinc, quia Christus jam in coe-lo illo habitet ille, ex eodem visum Stephano Act. 7. vſ. 55. 56. Saulo Act. 9. vſ. 3. sqq. & in hoc coelum τρίτον etiam raptum esse Paulum 2. Cor. 12. vſ. 3. VII. Imò hoc coe-lo Christum jam capi Act. 3. vſ. 21. VIII. Unde & de coelo & in nubibus redditurus sit ad judicium. Act. 1. vſ. 11. Luc 21. vſ. 27. 1. Thess. 4. vſ. 16. 17. 2. Thess. 1. v. 7. Et hæc sunt argumenta dissentientium. Nostrorum tenten-tia est, Christi ascensionem in coelum non fuisse dispa-rationem saltē vel μεταβολὴ conditionis unius & statū unius in alterum sed veram & realem πορείαν, Φορέα & μετάστασιν localem, quā Corpus Christi ē monte oliveti sursum versis translatum & interventu nubis oculis Apo-stolorum fuerit subductum, quo facto Christus non per-transierit coelum stellatum sed mox ingressus sit coelum gloriae divinæ, in quo ad dextram Dei sedeat & exal-tatus.

tatus sit atque angelis & beatis immediate lèse videndum & fruendum præbeat & manifestet. Quo ipso tamen non negant, corpus Christi in coelo quoad actum naturæ definitivè esse, etsi quoad actum personæ ubique & omnipræsens sit & omnia replete. En & nostra argumenta. I. Coelum, in quod ingressus est Christus, est coelum gloriæ, ubi ad dextram Patris sedens cum eo majestatice regnat. Hoc verò coelum non est creatum vel certo loco affixum sed superius omni coelo, non situ sed dignitate, majus omni coelo, non extensione sed immensitate. De hoc coelo fuit baptisma Johannem, de hoc coelo descendit Λόγος in uterum Mariæ Virginis, in hoc coelum quoque ascendit. Hinc dicitur esse factus coelis excelsior, coelos omnes penetrâsse, super omnes coelos ascendisse, ut omnia impleret, hoc est, ad paternum thronum, æqualitate honoris & gloriæ, non noviter acceptâ, sed ex unione possessâ, nunc autem, deposito servi habitu plenissimè effulgescente, evectus esse. II. Si Christus ita in coelum ascendit, ut in loco quodam supra sidera posito localiter continetur, non omnibus hominibus in terrâ constitutis sursum sed quibusdam etiam deorsum erit. Nam si è monte oliveti rectâ ascendit in locum corporeum, qui supra Judæam aut etiam totam Syriam est, aliis regionibus à Judæâ remotissimis non sursum sed vel ad dextram vel sinistram, vel pone vel etiam antipus fuit. Et hodiè, si tali circumscriptivo modo in coelo corporeo versatur, multis ad dextram, aliis ad sinistram, quibusdam à tergo, nonnullis sub pedibus erit. Et hi ad orandum se componentes nec manus, nec oculos, nec mentem aut cor in coelum, quod supra ipsos est, attollere debent, sed de coelo, quod infra ipsos & Antipodibus su-

perum

perum est, cogitare, sique oculos & mentem ad coe-  
lum inferius deprimere tenebuntur, atque his in per-  
actione sacrorum non erit dicendum: sursum corda, sed po-  
tius deorsum. Non mea sunt, sed MELCH. NICO-  
LAI verba in Symbolo Lutherano p. 150. 151. qui plura  
adhuc addit, his consona. III. Si coelum, in quod  
Christus ascendit, locus quidam supernus & creatus  
est, is quoque in consummatione seculi ut pereat, ne-  
cessse est. Itane ergo peribit domicilium Christi? Itane  
ergo sine coelo erit Christus, si mundus pereat? IV. Coe-  
lum Christi & coelum beatorum unum ideinque est.  
Joh. 14. ¶. 3. 4. 17. ¶. 24. Phil. 1. ¶. 23. At hoc est æter-  
num 2. Cor. 5. ¶. 1. V. Si Christus pervadere debuisset coe-  
lum stellatum, magno temporis tractu ipsi opus fuisset,  
donec pervenisset in coelum empyreum. Cæterum ve-  
lim, ad intelligendam hanc sententiam duo probe ob-  
servari. I. Sicut animæ beatorum in illocali Spiritu  
Dei fulciuntur & in manu Dei sunt, ita nec Christus in  
coelis localiter continetur. II. Coelum Dei utique est  
ubique sed non coelum gratia, inter hoc enim & coe-  
lum iræ infinita differentia est. Hinc & περι beatorum à  
περι damnatorum longè distinctissimum est. Adde eun-  
dem NICOLAI p. 153 sqq. qui hic JO. BRENTIUM &  
JAC. ANDREÆ contra HENR. BULLINGERUM  
itemque GERLACHIUM adversus BUSÆUM presso  
ferè pede sequitur. En quid ajat BALTH. MEN-  
ZERUS: Quaris, ubi sit illud cælum, in quod ascendi-  
Christus. Alicubi esse certum est, non ubique, non nuf-  
ficiam, sed locum aliquem certum monstrare non valeo, sive  
ad Orientem me convertam, sive ad Occidentem, sive ad  
meridiem, sive ad aquilonem. Et ascendisse scio Christum  
in alium, ut ne quidem Antipodes dicturi sint, ipsum de-  
scen-

scendisse in cælum. Quicquid igitur locale mihi occinis rejicio, neque Christum vel circa cardines cæli vel ultra vel citra Zodiacum aut aquatorem investigo. In cælo esse eredo sed & longè supra omnes cælos & cælis sublimiorum. Eph. 4. vs. 10. Hebr. 7. vs. 26. Job. 11. vs. 8. 22. vs. 12. Terminus ascensionis à quo est mons oliveti, medium, per quod ascendit, aër & nubes, terminus ultimus ad quem neque mundanus est neque localis neque intellectus sive rationi humana neque sensui obvius (*m*). Hactenus MENZERUS, cui addendus venit JUSTUS FEUR-BORNIUS, qui itidem negat, Christum, postquam nubes eum subtraxit è conspectu discipolorum, primum sphæram Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis & Saturni, deinde firmamentum, postea primum mobile, deinde coelum crystallinum seu aqueum pertransisse, donec pervenerit ad Patrem & ad coelum empyreum seu coelum beatorum, et si concedat, Christum, postquam subtractus fuit à nube, ulterius elevatum esse, nempe ad dextram Patris (*n*) Scilicet phrases illæ, ubi Christus dicitur esse in excelsis, in coelis, supra nos, non intelligenda sunt τοπικῶς (aliás ipse quoque Λόγος foret tantum in excelsis) sed θεωρητικῶς, & sunt I. εἰσικαὶ, definientes & describentes Christi Jesu coelestem sublimitatem, II. Διανοητικαὶ, discernentes Christi thronum & regnum coeleste à terrestri & humano, denique III. ἀναπολικαὶ, declarantes identitatem throni Dei Patris & Christi Unde Christus nec coelo inclusus nec à nobis absens est, quia ad dextram Patris est, quæ cum ubique sit, ipse etiam ubique est & regnat. Hinc, quando Christus in novissimo die in nubibus venturus est

(*m*) Opp. Lat. T. 1. p. 425. (*n*) in Operibus Theol. p. 29. sqq.

est ad judicium , dextram Dei in coelis non relinquit , utpote qui nihilominus prohibetur & cum sessurus est deξιῶν τῆς δυνάμεως Matth. 26. ḷ. 64. (o) Hinc & moneret BALTH. MEISNERUS , duplex esse ἄνω vel supra , alterum *situationis* , alterum *potestatis* , illud loci *sublimitatem* , hoc *omnipotentie majestatem* significare , illud loci Ἡστέρων , hoc loci ἀρχηστών includere . Et posteriori quidem sensu id sumi , quando Christus supra omnes coelos ascensio dicatur . Quod verò attinet delcensem Christi ad judicium , ait MEISNERUS , per illum non intelligi localem aliquam per coelos creatos profectionem nec divinæ majestatis desertionem sed duntaxat visibilem Christi in nubibus apparitionem & infinitæ gloriæ manifestationem . Sicut enim Deus de coelo descendere dicatur , quando majestatem suam singulari facto patefaciat , ita & futurum Christi descensum non nisi in gloriose ejus apparitione & publicâ potestatis suæ declaratione consistere putandum esse , quam ob causam alibi in Scripturis vocetur Προφέτης δόξης Tit. 2. ḷ. 13. Ita MEISNERUS (p) . Eandem ferè in sententiam fatur C. E. BROCHMANDUS , Theologus olim Danus , qui ait , Christum post ascensionem in certo coelo non contineri , quia omnibus coelis factus sit excelsior Eph. 4. ḷ. 10. Hebr. 4. ḷ. 14. 7. 26. & quia sit in eo coelo , in quo sunt Angeli etiam , ubi in his terris existunt Matth. 18. ḷ. 10. (oo) in quo & Elias & Moses fuerunt , ubi in transfiguratione Christi in monte adfuere Matth. 17. ḷ. 3. 4. Fuerunt

D 2

enim

(o) Vide Opera FEURBORNII p. 100. 1452. 616. (p) in Philos. sobr. P. 1. p. 453. (oo) Nec tamen coelum Angelorum est coelum ipsius Dei juxta Theologos Matth. 21. v. 25. Luc. 15. v. 18. ubi: *peccavi in cælum*. Ast in cælum Angelorum non peccatur , sed soli Deo. Ps. 51. 9.

enim tūm in regno Dei Matth. 16. vſ. 28. Marc. 9. 1.  
 quod non locali ſitu ſed gaudio & gloriā coeleſti à Spi-  
 ritu Dei definiuntur Phil. 2. vſ. 9. 10. 1. Pet. 3. 22. Eph. 4.  
 vſ. 10. ſqq. Hebr. 1. vſ. 3. quod non eſt creatum quid  
 2. Cor. 5. vſ. 1. Hebr. 9. vſ. 24. perituruſ maliās in die noviſſi-  
 mo Hebr. 1. vſ. 10. 2. Petr. 3. vſ. 12. Hæc BROCH-  
 MANDUS, qui addit, Christi in coelos ascensionem  
 diſſerre prorsus ab ascensione Enochī, Eliæ & aliorum  
 ſanctorum. Hos enim virtute alienā, illum ſuā ascen-  
 diſſe, ſanctos präſentiam ſuam terris ſic ſurripuiſſe,  
 Christum ſecus, ſanctos ſic perveniuſſe ad viſionem &  
 fruitionem Dei beatificam, Christum ſediſſe ad dextram  
 Dei. Pergit deinde BROCHMANDUS, & probat,  
 coelum, in quod Christus ascendit, non eſſe locum  
 corporeum. Ubi & inter alia hoc monet, nos, qui in  
 Christum verā fide credamus, jam, dum in terris adhuc  
 verſemur, dici cum Chriſto ἐν ἐπαγγελίοις collocatos Eph. 2.  
 vſ. 6. quæ aſſertio plus quam abſurda futura eſſet, si Christi  
 in ſupracoeleſtibus collocatio explicanda eſſet de certo  
 quodam loco, ab hiſce terris quām remotiſſimo. Ad-  
 dit, Christum jam fuifſe in coelo, cùm adhuc in terris  
 verſareetur Joh. 3. vſ. 13. &, cùm in coelum ascendit,  
 iuſſe ad Patrem Joh. 14. vſ. 2. ſqq. ubi ipſi non fuerit  
 opus motu locali, cùm Pater ſit ubique, & cum in Pa-  
 tre ut ὁμόσιος Ipſi, ſemper iſtuerit Joh. 14. vſ. 11. nec  
 dextra Dei ſit locus quidam certus, ſed maieſtas divina  
 & potentia, nulli loco alligata. Quæ omnia egregiè  
 deducit BROCHMANDUS (q). Adjici potest J. A.  
 SCHERZERI Systema Theologiæ, ubi obſervat Vir  
 acutus, Christum, etiā ē monte oliveti καὶ ὀικορομίας  
 reali

(q) in Syst. Theol. P. 1. f. 370. ſqq.

reali sublatione activâ ac successivâ ad modum glorioſi corpus ascenderit, donec tegeretur nube, tamen ascendisse in coelum increatum ac illocale 1. quia ascendit ſupra omnes coelos, 2. quia in tale πύρ ascendit, ubi omnia replet, 3. quia in coelum dextræ Dei ascendit, quod eſt coelum omnipotentiae. 4. quia ingressus eſt in coelum ἀχειροποίητον Ebr. II. vſ. 24. 5. quia, ſi ſederet in loco circumscriptivo, ipſe thronus divinæ majestatis eſſet circumscriptivus, quod absurdum, 6. quia, ſi dextra Dei eſt locus, etiam divinitas foret in loco, quod absurdum. Hæc SCHERZERUS (r). Atque ex his quidem ſatis liquet, quæ Theologoruū orthodoxorum ſententia ſit de coelo, in quod Christus ascendit.

## §. XI.

Reſtat, ut loca illa, quibus novum coelum & nova terra dicitur creanda, paulisper explicemus. Exſtant ille Jef. 65. vſ. 17. 66 vſ. 22. 2. Pet. 3. vſ. 13. Hebr. 12. vſ. 26. 27. Apoc. 21. vſ. 1. 5. Quod loca Jefaiana attinet, varia eſt interpretum expositio. Ut enim rāceam Aben-efram, qui craſſo modo verba ſumit & putat, hīc per creationem novi coeli & novæ terræ intelligi magnam futuri temporis felicitatem illam, ubi aëris purificatio hominibus ſtabiliorem conciliatura ſit valetudinem & terra ex influxu coeleſti novâ virtute ac feracitate imbuenda ſit, H. GROTIUS vaticinium hoc explicat de restauratione Reipublicæ Judaicæ poſt captivitatem Babyloniam, C. VITRINGA de oeconomicæ veteris Testamenti mutatione, cum quâ & coniungit futuram illam Ecclesiæ Novi Testamenti felicitatem, quæ in fine temporum, in millennio sancto eidem continget, de

D 3

quâ

(r) I. c. L. VIII. §. 32. p. 247. 248.

quà posteriore hanc prophetiam solum explicat J. COCEJUS, TH. BURNET US verò in peculiari dissertatione hæc loca Jesaiana explicat de novo coelo & novâ terrâ post conflagrationem præsentis mundi ex ipsius innovatione oriundâ, in quà Christus cum sanctis suis sit regnaturus per mille annos, quibus absolutis, novi coeli & terra nova quoque sint peritura & resurrectione iudicioque universalis succendentibus vita æterna successura (s). Nostri Theologi veteres exponunt de innovatione & immutatione hujus mundi in consummatione seculi faciendâ, recentiores de novâ gratiæ oeconomia sub Novo Testamento instituendâ & de regno gloriæ maxime, ubi coelis hisce aspectabilibus & terrâ in nihilum redactâ novum planè coelum idque beatorum sit creandum sive successurum (t). Quod dictum 2. Pet. 3. vs. 13. spectat, constat inter eruditos, esse ex novissimis interpretibus Viros præstantissimos, qui caput istud Petrinum non de excidio mundi sed de excidio Hierosolymorum tanquam proximè instantे explicit. Ita sanè LIGHTFOOTUS, OWENUS, CAVEUS, imò & HAMMONDUS. Sed tamen ficalnea est hæc interpretatio, ut vix attendi mercatur, & refutata à Viris doctissimis VITRINGA atque CLERICO. Scilicet his, qui ita rationes suas componunt, novum coelum & nova terra erit Ecclesia Christiana post destructionem Hierosolymorum in toto mundo plantanda. JO. COCEJUS verba Petrina de novis coelo & terrâ ad statum Ecclesiæ gloriosum, qui post destructionem Antichristi futurus est & consummationem seculi præcessurus, refert

(s) Vide Telluris theoriam sacram L. IV. (t) Confer maximè JO. GERHARDUM de consummatione seculi §. 44. 48.

refert, & cum eodem combinat regnum gloriæ, quod consummationem seculi secuturum est. Eodem modo verba Apostoli explicat ad mentem mariti sui JO. ELEONORA PETERSENIA (n). Ait illa I. hunc mundum non quoad substantiam interitatum sed innovatum saltem atque ad pristinam pñlchritudinem paradisiacam restitutum iri. II. Hanc restitutionem & creationem novi mundi esse tñm spiritualem tñm corporalem. III. Spiritualem tantisper cœpturam cum oeconomia novi foederis, sed perficiendam esse paulò ante millennium Apocalypticum & in millennii hujus initio post destructum falsum Christianismum regnumque Anti-Christi & abolita regna terrena. Jes. 65. v. 15. sqq. Hagg. 2. v. 22. 23. Apoc. 6. v. 12. sqq. IV. Corporalem verò renovationem futuram post millennium in judicio extremo Apoc. 20. v. 11. 21. I. sqq. Jes. 66. v. 22. Hebr. 12. v. 26. 27. sed renovationem saltem. Hinc Davidem Psalm. 7. v. 4. dicere de coelis sic renovatis: *quia videbo* (non saltem video) *cælos opus digitorum tuorum & lunam & stellas, quas firmasti.* Hæc enim redditura omnia. V. de utraque tñm spirituali, tñm corporali innovatione intelligendum esse locum Petrinum. Communiter existimatur, indigitare hic Petrum, quod post consummationem seculi novum coelum & nova terra creanda sit. Sunt ex Romanis, qui capiunt hæc crastè, & qui per terram novam intelligent paradisum terrenum, quem ab igne conflagrationis excipiunt, eumque parvulis, sine baptismo qui decedere, in vitâ futura destinant, multandis hic poenâ damni, non sensùs, beatis interea in coelo empyreo, quod itidem ignem ultimum effugerit, suavissi-

mis

(n) in Commentario Germanico in Apocalypsin f. 342. sqq.

mis deliciis fruentibus. Nostri existimant, ea, quæ phrasibus à rebus mundanis desuntis hīc dicantur, more humano & propriè haud accipienda esse. Non materiale coelum, non materialem terram hīc intelligendam, allegoricē hæc dici omnia, & Hierosolymas coelestes ita quoque nobis in Apocalypsi repræsentari sub schemate quodam corporali, licet deliciæ spirituales, quas solas vita æterna agnoscit, & splendor futuræ gloriæ summus eodem indigitetur. Locus Hebr. 12. vs. 26.

27. itidem variis interpretamentis subjacet. HAMMONDUS illam concussionem coeli & terræ de destructione Reipublicæ Judaicæ iterum explicat. COCCEJUS cum illâ destructionem regni Antichristiani conjungit. HUNNIUS & CALOVIUS per illam mutationem orbis, quæ facta est, adventante Christo in carnem, per prædicationem Evangelii, intelligunt. BRAUNIUS destructionem oeconomiae Veteris Testamenti ceremonialis & Reipublicæ Judaicæ hīc insinuari itidem putat. Itaque sunt, qui ad adventum Christi primum, ubi Christus & in morte & in resurrectione & in ascensione suâ coelum & terram commovit, sunt, qui ad adventum secundum ad judicium & consummationem seculi ista referant, imò qui adventum primum & secundum hīc conjungant. Et sanè ad adventum posteriorem hæc spectare congruè affirmatur. Vide, quæ ad hunc locum beatus Parens in supplementis ad Commentarium Dorsheanum scripsit (x). Denique quod Apoc. 21. vs. 1. sqq. attinet, de coelo beatorum ista non explicat H. GROTIUS, sed de Ecclesiâ Christianâ tempore Constantini M. à persecutionibus & idolatriâ liberatâ. HAMMONDUS

(x) p. 764, 765.

DUS eandem ferè in sententiam fatur. COCCEJUS per istas Hierosolymas Apocalypticas intelligit statum Ecclesiæ Novi Testamenti militantis per gradus inde ab initio innovatum per abolitionem 1. Judaismi 2. Gentilismi 3. Antichristianismi, plenissimè verò innovandum in consummatione seculi. LAUNÆUS putat, octo priora commata Apoc. 21. pertinere ad statum Ecclesiæ in his terris, præstantissimum illum, qui post destructa imperia adversaria futurus sit. VITRINA visionem hanc Iohannæam explicat de statu Ecclesiæ Christi novissimo tempore in his terris exhibendæ tam post destrunctum bestiæ imperium quam post oppressum Gogum & Magogum, qui status typus sit Ecclesiæ gloriose in coelis consummandæ. Communis verò nostrorum sententia est, de statu Ecclesiæ in vitâ æternâ, qui post consummationem seculi futurus sit, hic agi. Et huc pertinere vel maximè id, quod comm. s. dicitur: *ecce ego omnia nova facio* (y), quæ de novis coelis novâ terrâ in vitâ beatissimâ explicanda sint. Ita & sunt, qui Gal. 4. v. 26. & Hebr. 12. v. 22. sqq. explicit mox de Ecclesiâ Christianâ in his terris militante, mox de Ecclesiâ triumphante, mox utramque conjungant. Mirum Interpretum divortium, quod crucem hic Theologis figit. Sed ad Æternitatem nostram, quam dudum promisimus, vel tandem descendendum est.

## §. XII.

Quid itaque, quæsumus, in tanto sententiarum divortio vel tandem à nobis statuendum determinante E dumque

(y) Sed verò hæc Jes. 43. v. 9. de populo è Babylonica reducendo dicuntur, ut bene monet GROTIUS.

dumque est? Non verò est, quòd existimemus curiositati nostræ & conjecturis hīc frena laxanda profanaque mente hæc sacra tractanda & cogitanda esse. Certè enim cum sancto quodam tremore & gaudio, quo ad cœlestem illam beatitudinem prægustandam & occupandam ferimur, in hæc mysteria nobis descendendum est. Nec tamen existimandum quoque, tantas in hoc argumento difficultates occurrere, quæ solvi, quæ extricari, quæ evolvi, quæ superari, quæ dirimi, quæ dilui & diffundi prorsus nesciant. Etsi enim nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit id, quod Deus præparavit iis, qui ipsum diligunt, idque pathetico prorsus stylo ex Jes. 64. v. 4. repetat Paulus i Cor. 2. 9. addit tamen statim comm. 10. *nobis verò Deus revelavit per Spiritum suum.* Prouti ergò limites revelationis prorsus haud migrandi sunt, nec id determinandum, quod ignorare nos voluit Deus, ita nec id reticendum & silentio obvolvendum, quod idem ex verbo suo scire nos jubet, nec nimium extendenda *πορνία* Theologica, ne in Scepticismum malè consultum vel in Theologiam pigrorum *ἐγενήσεται* sacræ adversam ea tandem degeneret. Scilicet existimamus protius i. esse aliquam justorum consummatorum & beatorum, Angelorum item sanctorum congregationem, in quâ Deus O. M. se iisdem videndum immediate atque suendum præbeat. It. Hanc certo cuidam loco mundo atque creato, qui & supra coelos aspectabiles situs sit, non alligatam, nullumque ipsius *περὶ* creatum esse, sed *περὶ* illius esse ipsum Deum, in cuius blandissimâ manu & dulcissimo gremio spiritus beatorum recumbant & siti sunt. III. Hanc manum, hoc gremium divinitatis esse cœlum

cœlum gloriæ , in quo majestas divina remotis velis sese plenissimè manifestet, in quo Deus felicitate inenarrabili beatos recreet & intimè perfundat , è quo Christus descenderit, ubi incarnatus est, in quod & ascenderit, ubi translatus est in ærem & à nube subductus , quo adeò non capiatur ipse, ut illud potius occupet Act. 3. v. 21. in quo ad dextram Patris, quæ ubique est, sedeat ipse & cum Patre regnet manifestumque se reddat, è quo descensurus sit ad judicium , omnia semper conservans , regens, impletans. IV. In hoc cœlum beatitudinis transferri omnes, qui salventur. V. Hoc cœlum destructis cœlis creatis & terrâ creatâ , nobis, qui salvamur, apparitum illico & splendore suo magnâ admiratione , tanquam novum prorsus, animos nostros oculosque perculsum esse. VI. Typum hujus novi coeli esse 1. Paradisum, 2. sanctum sanctorum in tabernaculo Mosaico & templo veteri, 3. terram Canaan, 4. Ecclesiam Novi Testamenti, veteribus umbris succedentem, maximè verò 5. statum illum Ecclesiæ gloriōsiorem, quo eandem post destructam idolatriam, post conversos Gentiles & Judæos, post destructum quoque Antichristum & regna gloriæ Dei adversa sub finem mundi amplificat & exornat Dominus. VII. Placuisse Spiritui sancto, in sacris literis sub uno eodemque emblemate saepius & typum, maximè sequiorem & intermedium, & antitypum sistere (z) & descriptionibus à splendore

E 2

ter-

(z) Hæc observatio prorsus necessaria est, utpote sine qua multa dicta de cœlo beatorum agentia, uti è dictis liquet, feliciter haud explicaveris. Cæterum, quantum difficultatem in Theologiae Propheticæ & typicæ tractatione descriptiones istæ emblematicæ sedulis rerum scrutatoribus creent, expertis constat. Et si unquam, certè in hæc Theologia parte valet il-

terreno & rebus mundanis desumptis & Ecclesiam militantem & triumphantem maximè, metaphoricè nobis de pingere, ubi nolim, ut metaphoram quis premat vel literam urgeat, quæ nonnisi figuratè hic capi vult. VIII. Etsi autem hæc repræsentatio sit emblematica & metaphorica, tamen realissimam & præstantissimam beatitudinem, quam nemo hominum enarrare valeat, quæ omnes flosculos eloquentiæ etiam fœcundissimæ superet, descriptionibus istis indigitari, quæ propria sit, quæ in deliciis exstantissimis & summis consistat. IX. Etsi gloria & majestas divina sit immensa atque omnia repleat, tamen cœlum gloriæ id tantum dici, ubi Deus amorem suum creaturis beatis manifestet, nec coelum beatorum immensum esse sed beatorum choro limitari, qui à damnatorum multitudine infernoque infinitis parasangis distet. X. Ex quo patet, nos cœlum empyreum, nos coelum beatorum creatum vel creandum, voce propriè sumtâ haud statuere atque omnes corporeas & crastinas ideas hic exesse jubere & emblematum sacrorum nucleum potius quam corticem heic degustare. Hæc nostra mens est, orthodoxa, ut arbitramur, & rei substrataz conveniens.

## §. XIII.

Et verò hæc pro ratione instituti nostri, quod haud prolixum est, sufficiant. Quod restat, nolimus, ut quisquam arbitretur, nos, quæcunque de hoc argu mento, amplissimo illo, dici possent & merentur, ex hausisse

Iud Apostoli: *videmus per speculum in anigmate 1. Cor. 13. vñ. 12.* Nec, ut ulterius progredi possemus, Deus voluit, qui velum istud emblematum sic nobis obduxit.

hausisse. Certè enim nonnisi guttam de immenso mari dedimus. Tām ampla est hæc tractatio , ut multis vōluminibus vix comprehendī possit. Non est, quod jam recenseamus autores , qui datā operā de coelo beatōrum scripsere. Pertinet hoc ad historiam Theologiæ literariam, cujus fontes pleniores hic aperire nobis non datur. Quot, quæsumus, Auctores de vitā æternā scripsere, practici maximē, inter quos eminet PHILIPPUS NICOLAI, Theologus ille Hamburgensis præstantissimus, qui facundissimum rebus delineandis & practicū hīc adhibuit calamum? Taceo, quæ inter JO. BRENTIUM & HENR. BULLINGERUM (a), JAC. ANDREÆ

E 3

&amp;

(a) En historiam totius controversiæ , quæ verò obsoleta ho- diè est & tenebris oblivionis ferè involuta. Scripsérat JO. BRENTIUS de personali unione duarum naturarum in Christo & ascensu Christi in coelum ac sessione ejus ad dextram Dei Patris librum , quo veram corporis & sanguinis Christi præsentiam in cœnā explicavit & confirmavit. Tu- bingæ 1561. 4. Hīc non solum omnipræseniam corporis Christi , quam in Apologiâ Confessionis Wirtenbergicæ jam diduxerat, in scenam reduxit sed & statuit, Christum, et si in coelum ascenderit , tamen certo loco non circumscribi , ita , ut corpus ipsius & in cœnā realiter exhiberi poscit, nec coelum esse certum locum, sicut nec dextram Dei, sed majestatem & omnipotentiam divinam. Hunc libellum adgressus est Theologus Tigurinus HENR. BULLINGERUS in tracta- tione verborum Domini , in domo Patris mei mansiones multæ sunt, Tiguri 1561. ubi defendere conatus est , coelum esse certum locum , in quem Christus ascenderit , cuius cor- pus eapropter in his terris præsens esse non possit. Repo- suit JO BRENTIUS sententiam de libello Bullingeriano suam Tubingæ codem anno 8. quæ & Francosurti A. 1562.

8. Germanicè prodit sub titulo : *Bericht Johannis Brenzii von dem Büchlein D. Heinrici Bullingeri, des Tittels: von dem Himmel und der Gerechten Gottes, jez vvidetur erschn und gebessert.* Quo facto BULLINGERUS mox edidit Gegenbericht uff den bericht Herren Johannis Brenzen von dem Himmel und der Gerechten Gottes. 8. Addidit PETRUS MARTYR dialogos adversus BRENTIUM, qui Loc. comm. T. 2. exstant. Utique respondebit BRENTIUS in libro de maiestate Domini nostri Iesu Christi ad dextram Dei Patris & de verâ præsentia corporis & sanguinis ejus in cœnâ Francof. 1563. 4. Hinc natus alias BULLINGERI liber, cui titulus: *Fundamentum firmum Tiguri 1563.* 8. Hunc refutavit BRENTIUS in recognitione Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ de verâ maiestate Domini nostri Iesu Christi ad dexteram Dei, Patris sui omnipotentis. Tubingæ 1564. 4. Reposuit BULLINGERUS repetitionem & dilucidiorē explicationem consensus veteris orthodoxæ Catholicæque Christi Ecclesiæ in doctrinâ Propheticæ & Apostolicæ de inconfusis proprietatibus naturarum Christi Domini in unâ indivisiâ personâ permanentibus adeoque de veritate carnis Christi ad dexteram Dei Patris in celo sedentis & non ubique præsentis, ubi in altera parte BRENTII recognitio refellitur. Tiguri 1564. 8. Nihil amplius dein regessit BRENTIUS, sed JAC. ANDREÆ calamus adversus BULLINGERUM sumvit. Scripsit enim librum sub titulo: *Pia, brevis & perspicua expositiō controversiā de duabus naturis in Christo deque verâ præsentia corporis & sanguinis ejus in Eucharistiâ, in qua responsum D. Theodori Bezae Vezelii de carnis Christi omnipræsentia contra D. Joh. Brentium inscriptum refutatur, &c ea, quæ Bullingerus contra ejusdem D. Brentii recognitionem anno superiore in lucem edidit, refelluntur.* Tubingæ 1565. 4. Hic p. 82. 83. ANDREÆ ἐποχὴ adprehendit, atque, de celo utique magis, quid non sit, hoc est, quod non sit certus quidam locus, quam quid sit, definiti posse, addit tamē, coelum esse beatitudinem æternam in Deo &

& PAULUM AB EIZEN (b), BALTH. MENZERUM

cum Deo, qui futurus sit omnia in omnibus. Cæterum libelli illi Brentiani exstant Opp. Brentii T. VIII. f. 331. sqq. Atque hæc ipsa quoque tantisper recensent ROD. HOSPINIANUS in Historiâ sacramentariâ P. 2. f. 288. b. 290. a. 305. sqq. 312. b. 318. sqq. 326. b. sqq. 341. b ubi testamentum BRENTII à BIDENBACHIO editum allegatur, itemque Vir celeberrimus & in historiâ Theologiae literariâ recentiore versatissimus V. E. LOESCHERUS in der ausführlichen historiâ motum P 2. p. 271. sqq. Alium adhuc BULLINGERI librum refert M. LIPENIUS in Bibl. Theol. P. 1. f. 305. quem verò nos non inspeximus.

(b) Vide LEONH. HUTTE RI Concordiam concordem C.XII. f. 103. b. sqq. ubi exhibetur D. Pauli ab Eizen, Superintendentis Holsati scriptum, cui titulus: *Ursachen, wvarum die subscription des Bergischen Buchs oder Confession billisch soll uverden abgeschlagen, genommen auss dem ernstlichen Befehl Christi: Hütet euch vor den falschen Propheten &c.* Hic p. 104. b. inter alia quoque hæc reprehendi videoas: *Item, dass vveder Himmel oder Hell gevrisse Städte seyn und dass der Himmeldroben in der Hæhe und die Hölle hier unten eitel erdichtet Ding sey, das nummer geviesen ist und nimmer seyn vvird, dann das sind des Brentii eigne Wort in seinem Buch von der Majestät Christi, davon ich und meine liebe Mußbrüder in unser resolution auff das Torganische Bedenken getrenliche Erinnerung gethan haben. So haben auch die Hessischen Theologen diese des Brentii Worte aufs seinem teuischen Buch am 125. und 128. Blat angemerkt, da er schreiber, der Himmel, dahin Christus auffgefahren ist, sey dermassen geschaffen, das in demselbigen nicht allein die Engel und die heiligen Menschen sondern auch der Teuffel und seine Engel sich finden, ja das der Satanus und die Helle im Himmelreich seyen. So haben auch Jac. Andreæ und seine Consorten in ihrem ersten Torgauischen Bedencken diesen irrrhum, dass der Himmel keine ge-*

RUM & JO. CROCIUM (c) de hoc argumēto agitata sunt, taceo GEORGII FRANCI, Theologi Francofūrten-sis Viadrini de coelo beatorum librum, taceo JAC. GRET-SERI, Jesuitæ Bavari de variis coelis Lutheranorum, Zwinglianorum &c. tractatum &c., qui alii sunt libelli, quos evolvere hic curiosus possit. Ait GIBERTI VOETII diatriben de coelo beatorum silentio obvolve-re haud possumus, cùm eruditus, cùm præstans libel-lus sit (d). Ut capias, lector, quām vastum sit de coe-lo

vvisse Städte sey, aufdrücklichen gesetzt und vor vvahrhaftig unterschreiben lassen, damit je vverden gelehret die Articulun-sers Christlichen Glaubens, dass Jesus Christus abgestiegen ist zur Hellen und aufgefahren ist zum Himmel, zusamt den Zeugnissen der H. Schrifft vom Himmel und Helle &c. Reposuit JAC. ANDREÆ den Bericht auf die vermeinte sechs Ursachen D. Pauli von Eizem, darumb er die Formulam der Concordia nicht un-terschreiben kenne, ubi f. 107. b. 108. a. respondet, BRENTIUM, ubi neget, cœlum esse certum locum, Lutherum καλὸν τόπον sequi, qui idem statuerit in der grossen Bekän-nis vom H. Abendmahl &c.

(c) Scilicet ediderat JO. CROCIUS, Theologus Marpurgensis Conversationem Prutenicam, in quâ etiam de glorio-so Dei & beatorum cœlo corporumque glorioforum dotibus egerat. Reposuit BALTH. MENZERUS, quem hic ad-gressus erat CROCIUS, abstensionem calumniatum, quæ in operibus MENZERI exstat T. 1. p. 811. sqq. Regessit CRO-CIUS defensionum Conversationis suæ, cui MENZERUS iterum responsionem opposuit. Vide l. c. p. 841. sqq. Hæc ante hos centum annos agitata fuere.

(d) Habetur editio Gorinch. 1669. 1679. 8. Postea libellus hic editus est in tractatu curioso rerum theologicarum Fran-cofurti ad Mœnum A. 1692. 8 p. 865. sqq.

lo beatorum argumentum, en dabimus tibi libelli Voe-  
tiani recensionem in compendio. Agit igitur VOE-  
TIUS primum C. I. de existentia & quidditate coeli beato-  
rum, item de coelorum numero. C. 2. quærit, an coelum  
beatorum sit substantia, an accidens, an sit substantia fini-  
ta & creata à Deo distincta, an sit substantia spiritualis, an  
verò corporea, an constet ex materiâ & formâ, an materia  
ejus sit elementaris aut aquæ, an sit corpus simplex,  
an specie differat à coelo stellato? C. III. quærit idem,  
an coelum beatorum sit creatum, & ex quâ materiâ,  
quando, ad quid & cum quo aut quibus sit creatum?  
C. IV. explicat coeli unitatem, magnitudinem, locum,  
quæritque inter alia, an coelum habeat partes homoge-  
neas vel heterogeneas? & ubi numerum coelorum init,  
Scholasticorum, Gentilium, Judæorum, Muhameda-  
norum placita curiose recenset. C. V. de locatione coe-  
li agit. C. VI. de iis, qui in coelo continentur, Deo,  
Christo, Angelis, beatis curiosas quæstiones mover.  
C. VII. disquirit de corporibus gloriois in coelo extan-  
tibus, de animalibus, plantis, fossilibus, elementis,  
artificialibus, num in coelo dentur, de personis in coe-  
lum translatis, quænam illæ & quot sint? C. VIII. ex-  
aminat adjunctum seu affectiones coeli, liquiditatem &  
soliditatem, luminositatem, visibilitatem & invisibili-  
tatem, immutabilitatem, perfectionem, pulchritudi-  
nem, amoenitatem, gloriam, sanctitatem. C. XI. re-  
fert denique quæstiones aliquot partim curiosas, partim  
absurdas GABRIELIS DE HENAO, qui Empyreolo-  
giam seu Philosophiam Christianam de empyreо coelo  
A. MDCLII. edidit. Haec tenus VOETIUS. Possimus  
jam, si vellemus, & quæstiones illas crispas GABR. DE

F

HENAO

HENAO, possemus etiam aliorum Scholasticorum quæstiones de coelo beatorum in hac dissertatione non tantas recensere. Sed nolumus, cum res tanti non sit, nec prolixioribus nobis esse h̄ic liceat nimisque curiosis. Ast, si diducere voluissimus argumentum, poteramus & agere de coelo beatorum secundum Judæorum, gentilium & Mahumedanorum placita. Poteramus recensere fragmenta & somnia Judæorum de variis coelis & de indeole Paradisi coelestis, quæ in unum fudit incomparabilis Autor J. O. ANDR. EISENMENGERUS (e). Poteramus dein descendere in campos Gentilium Elysius, & loca, in quæ animæ beatæ ab ipsis recipi creduntur (f), poteramus & tandem differere de Paradiso Muhamedanorum & vel maximè juxta POCOCKIUM (g) & RELANDUM (h) ostendere, Muhamedanos non existimare, quod vulgo de ipsis creditur, voluptatem Paradisiacam in meritis deliciis carnalibus consistere. Imò de situ Paradisi, non in terrâ hâc, sed in regione quædam æthereâ existentis curiosam addere poteramus disquisitionem (i). Ast in tam vastum scriptionis campum ne progrederemur, libelli academicí effecit limes, quem migrare noluimus. Itaque ergo h̄ic scriptionis terminus esto.

## EPILO-

(e) in dem entdeckten Judenthum P. 1. p. 316. 317. 391. 392. 460. 464. 805. 867. sqq. P. 2. p. 260. sqq. 295. sqq. 886.

(f) Vide P. D. HUETII quæstiones Alnetanas L. 2. C. 11.

21. & 24. &c TOB. PFANNERI Systema Theol. Gent. C. 21.

Addi potest JAC. WINDETUS de vitâ functorum statu,

ubi Hebræorum & Græcorum sententias refert. (h) in notis

ad portam Mosis C. 7. p. 292. (h) de relig. Muhamedica

L. 2. §. 18. p. 146. sqq. (i) Vide TH. BURNETI Telluris

Theoriam sacram L. 2. C. 9.

## EPILOGUS ASCETICUS.

**N**ec tamen est, quod existimes, lector,  
hæc omnia ita esse comparata, ut  
vix ædificationis spiritualis micam,  
certè nullum ejusdem pondus secum ferant.  
Sapere hæc nonnisi eruditionem theoreti-  
cam & curiositatem quandam Theologi-  
cam, quæ sola hic pabulum quoddam in-  
veniat. Non opus esse, anxiè disquirere de  
cœli beatorum quidditate, qualitatibus & af-  
fectionibus & loco, manendum saltem in  
simplicitate Scripturæ atque in id incumben-  
dum, ut, quando hinc nobis emigrandum  
est, in beatas illas sedes certò transfera-  
mur. Satius esse, cœlum ipsa re assequi,  
quam de cœlo curiosè disputare. Tu verò,  
mi lector, quisquis es, existimasne, cre-  
dere me, quèd nuda theoria hic sufficiat.  
Absit, absit per omnem modum. Non  
est, quòd somnies, hæc ad inanem saltem

F 2

curio-

curiositatem satiandam scriptitata esse, quæ  
 in chartam jecimus, cùm hic potius finis  
 extiterit noster, ut, quæ de cœlo beatorum  
 refert sanctior Scriptura, rectè intelligamus  
 & sententiarum variarum vento haud cir-  
 cumagamur, sed certam heic thesin, cer-  
 tam veritatem teneamus. Quàm verò  
 præstans, quæso, quàm amœna, quàm  
 dulcis, quàm jucunda, quàm pia, quàm  
 sancta ipsa hæc tractatio est, quæ, remo-  
 to ignorantiae & dubitationis cuiusvis in-  
 consultæ velo, futuræ felicitatis excellen-  
 tiā incomparabilem & æternam illam do-  
 mum, cui olim beati asseremur, omni suo  
 splendore ornatam sic pandit & nostro ob-  
 tutui sistit, & quantos, quàm luculentos  
 ædificationis omnigenæ rivos illa secum ve-  
 hit! Non est, quòd, qui sanctas illas & bea-  
 tas sedes, qui supernum illud domicilium,  
 qui patriam illam lacte & melle totam perfu-  
 sam inde è longinquo conspicimus atque  
 magno cum voluntatis nostræ anhelitu exspe-  
 ctamus, mundum hunc præsentem, qui mor-  
 tem gignit, cuius falsa saltem & dolosa  
 sua.

suavitas est, qui ad infernum dicit atque  
 in immensum miseriarum nunquam desitu-  
 rarum mare amasios suos præcipites agit,  
 adamemus amplius, atque, ubi ad cœle-  
 stem Paradisum migrandum nobis est, ubi  
 summa in cœlis felicitas degustanda nobis &  
 fruenda est, deliciis carnalibus operam porrò  
 nostram & cor nostrum consécremus. Tu  
 itaque, si placet, jam vale, MUNDE!  
 Valete vos terrestres deliciæ, valete, vos  
 mundi hujus pompæ omnes! Non est,  
 quod animum meum, qui in cœlis jam am-  
 bulat, qui ibi jam est, ubi thesaurus meus  
 est, qui felicitatis illius cœlestis & futuræ  
 dulcedinern jam prægustat & luculenta de-  
 liciarum illarum spe jam saginatur, fascine-  
 tis amplius. Vitam æternam & meliorem  
 haud crediderim, vos, o terrenæ deliciæ, si  
 porrò adamavero. Nec tamen depravatum est  
 gustus mei spiritualis organum, ut caducas  
 voluptates perpetuis illis deliciis præferam,  
 ut venenum, ut amaritudinem, ut mise-  
 riā summam, quæ in mundi hujus dul-  
 cidine latet, haud sentiam atque depre-

hēndam illicō. Ecce Spiritus ille meus ,  
 qui æterna sapit & sequitur , qui in Deo  
 situs est , qui id , quod REALE ET VE-  
 RUM est , umbris præferre jam didicit , &  
 non præferre non potest , qui crepundia  
 ista & pueriles lusus dudum nauseat , ΣΚΤΒΑΛΑ  
 hæc mundana pedibus suis quatit & pro-  
 fundissimo atque generoso admodum con-  
 temtu spernit & conculcat & conquassat  
 & conterit & disflat. Quid est , quod cor-  
 porali adhuc & carnali voluptate saginem &  
 repleam cadaverosum corpus hoc , quod  
 putredini destinatum est & citato gressu ad  
 ruinam suam vadit , & spiritum meum si-  
 nam consumi fame eaque perpetuâ , quæ  
 in privatione deliciarum æternarum & vo-  
 luptatis , cui nulla unquam nausea succe-  
 scit , quæ incomparabilis & præstantissima  
 est , consistit ? Quid est , quòd alta in hoc  
 mundo sapiam , quòd honores hujus mun-  
 di secter , vener , anhelem & adamem ,  
 quod fumis illis , qui tām citò disfluunt &  
 spirituali visui meo nocent , obvolvi caput  
 patiar & Quid ? Nonne nobilitas illa spiri-  
 tua-

tualis , quæ filium Dei me , quæ hæredem  
Dei , quæ cohæredem Christi , quæ Regem  
me coram Domino facit , longè & infi-  
nities præstantior est , perpetua illa & in-  
signis , cum quâ si omnium mundi hujus ho-  
norum farraginem comparem , ea vix cre-  
pundiorum loco haberi possit ? Quid est ,  
quòd divitias hujus mundi perituras & sub  
manibus hisce diffluentes aucuper , quas fur-  
tollit , quas calamitas temporum , quas mors  
aufert , quæ cœlum mihi surripiunt , quæ  
animum curis fatigant & terræ stercoreque  
affigunt , quæ CERTO CERTIUS mihi ,  
rebus humanis sic perpetim inhianti & im-  
merso & in divitiis hisce suaviter recumben-  
ti , gaudenti & quiescenti thesauros illos  
cœlestes rapiunt , bona illa æterna , quæ  
nulli corruptioni obnoxia sunt & infinitâ  
lætitia & beatitudine animum perfundunt &  
sola stabilia sunt . Quid est , quòd , qui  
peregrini in his terris sumus & cœlestem  
patriam quærimus , quid est , inquam , quòd  
in diversorio hoc , quod tām molestum ,  
quod tām pericolosum est , in quo tot in-  
sidiæ

sidiæ nobis struuntur , ita divertimus , ita  
commoramur , ac si in æterno in eodem  
manendum nobis esset. Quidni mature-  
mus potius iter ad eam civitatem , ubi  
nostrum est ΠΟΛΙΤΕΥΜΑ, cuius Architectus ipse  
Deus est , ubi alta pax , ubi summa bea-  
titudo , ubi perpetua quies & felicitas re-  
creat incolas , ubi deposita omnium pecca-  
torum & calamitatum & miseriarum & cura-  
rum sarcinâ in ipso Dei gremio , ( at quâm  
suave hoc , quâm jucundum illud est ! ) quie-  
scere nobis datur , ubi nullæ maledicentium,  
quibus hîc obruimur , calumniæ , ubi nulli ma-  
leferiorum hostium insultus , nulla ma-  
lignantium bella nos tangunt & affligunt ,  
ubi ipse Deus lachrymas ab oculis nostris  
abstergit , ubi in medio cohortis pacificæ  
pacis , quam olim sevimus , fructus Ixti de-  
gustamus , ubi ipse Deus nostra lux , nostra  
quies , nostra hæreditas est , ubi splendore ,  
ubi luce summa , ubi gaudio perpetuo & in-  
enarrabili in æternum perfundimur , ubi in  
medio Angelorum beatorum & justorum  
consummatorum siti æternas Deo laudes ca-  
ni-

nimus & hymnis cœlitum ipsi quoque no-  
 stras voces & nostra jubila immiscemus,  
 quò habitaculi præstantissimi elegantia &  
 amœnitas nos rapit & invitat & allicit &  
 trahit. Ecce jam è longinquo videmus &  
 conspicimus & intuemur Hierosolymas illas  
 beatas & cœlestes, ecce SURSUM jam  
 CORDA vertimus & aquilæ pennis in hunc  
 solem involamus. Eja circumeamus, agedum,  
 hanc Zionem & observemus paulo penitus  
 ejus præstantiam, numeremus ejus turres &  
 servemus ejus munimenta & palatia (a), quæ  
 tam augusta, tam splendida & beata sunt.  
 Hæc est civitas Dei altissimi, ubi <sup>נָשׁוֹב מִזְרָחָה</sup> Do-  
 minus ipse residet eamque splendore suo  
 augustissimo totam magnificam reddit. O  
 quam beatus est, quem tu eligis, O Domine!  
 ut appropinquet & habitet in atriis Tuis, quam  
 saturatur ille bono domus Tua & sanctitate  
 templi Tui (b). Quam, quæso, amœna sunt,  
 quam dilecta, quam amabilia hæabitacula Tua,  
 O Deus Zebaot! Concupiscit atque etiam atque

G

etiam

---

(a) Psalm. XLVIII. 13. 14. (b) Psalm. LXV. 5.

etiam desiderat anima mea hæc atria Tua, cor  
meum & anima mea exultant in Te, Deo vi-  
vente! Beati sunt habitatores domus Tuæ, hi Te  
laudabunt semper. Quam bonus est dies in atriis  
TUIS præ mille aliis! Elegi esse in limine in domo  
Dei mei præ habitatione in tabernaculis inqui-  
tatis, quia SOL mihi & SCUTVM hic  
DOMINUS DEUS est (c). Ecce hic est  
habitaculum Dei cum hominibus, hic nos populus  
Ipsius sumus & Ipse Deus noster, nulla hic mors,  
nullus luctus, lachrymæ nullæ, nullus clamor vel  
labor, sed vetera transfere (d). Ecce Deus ipse hoc  
tenplum est, quod intramus. & Agnus, nec sole hic  
opus est, ubi ipse Deus civitatem gloriam suam illustrat.  
Ecce hic est fons aquæ vivæ, è throno Dei  
prorumpens, & arbor vitae, cuius fructu sa-  
tiantur beati. Ecce hic regnant beati in ater-  
nitates aeternitatum (e). Quæ cùm ita sint,  
(sunt enim hæc verba certissima & vera (f),  
quid restat, quæsumus, quam ut, qui amœ-  
nitate, qui jucunditate cœlestis hujus habi-  
taculi toti capimur & perfundimur, siti hæc  
spiriti-

(c) Psalm. LXXXIV. (d) Apoc. XXI. 3. sqq. (e) Apoc. XXII.  
v. 5. (f) Apoc. XXII. 6.

spirituali acti magnâ cordis nostri æstuatio-  
ne gloriam istam anhelamus, &, ubi novi-  
mus, nil immundum in eandem introl-  
turum, sanctificationi nostræ eò avidicrem  
consecremus operam, quò & avidius futu-  
ræ hujus & præstantissimæ vitæ desiderium  
nos tenet.

---

### COROLLARIA

in fugam vacui  
addita.

I. Insignis error, sed metaphysicus saltem is est,  
quando LIBERIUS de S. AMORE (a) in genere ait,  
personalitatem esse saltem denominationem quandam  
externam.

G 2

II. Sie

(a) in epist. Theol. 1. p. 4. Quisnam sub nomine LIBERII  
de S. AMORE lateat, querunt erudit. Primùm quidem,  
cùm Salmurii apud Henr. Desbordes imprimeretur liber, JO.  
CLERICO, juveni 24. annorum tūm ac ibidem studiis ope-  
ram danti tributus fuit. Alii CLAUDIO PAJONIO, Pa-  
storii Reformato Aurelianensi cum adscripsere. JO. FAESIUS  
in not. ad weinenden Jesum p. 62. PHIL. LIMBURGIUM  
fœtūs hujus parentem esse dictavit. JO. FRID. MAYE-  
RUS in thesibus de incarnatione Hamburgi A. 1692, ven-  
tilatis §. IV. professus est, celeberrimum CLERICUM sibi  
hoc ex ipso sciscitanti haud negâsse, se esse Autorem. Ait  
MAYERUM in memoriâ hîc lapsum esse, exstat in vitâ Clerici  
ab ejusdem amico scripta p. 28. Nihilominus libellum CLA-  
RICO tribuerunt sine hæsitatione RICH. SIMON, PET.

II. Sic enim personalitates in divinis quoque essent merae denominationes externæ , id quod purus putus foret Sabellianismus.

III. Certè si in humanis quoque personalitates merae denominationes externæ essent , id tamen ad divina applicandum haud est (b). Nimis periculosa foret ejusmodi èis àllo γένει μετάβασις.

IV. Ast & , quî id, quòd substantiam ultimatum terminat, complet , perficit & actuat, mera denominatio externa sit , Scholasticis , queis subtilis mens & alta idea est , dis-  
judicandum relinquimus.

V. ο λόγῳ , carni unitus , in se spectatus (c) . malè à LIBERIO dicitur esse ens incompletum. Neque enim ultimata subsistentia τῷ λόγῳ sed potius carni , quæ nunquam sola exstitit , deneganda est.

VI. Malè arguit LIBERIUS , quando ait (d) si personalitas tām in naturā humanā quam in divinā esse dicatur , divinitatem fore ens incompletum. Nullus Scholasticus est , qui ita arguat , qui ejusmodi contradictionem in adjecto ponat.

VII. Definitionem illam, quòd suppositum sit id , quod neque pars neque adjunctum aliis rei est (e) , recte jugavit CYPRIANUS . Ast nec licet , alias terminis significaciones dare , & deinde tamen de sententiā quādam

---

POIRETUS , ADR. BAILLETUS , VINC. PLACCIUS ,  
JO. DIECMANNUS & vel maximè , qui animadversiones  
in epistolas Liberianas edidit & Helmstadii A. 1699. sub  
præficio J. A. SCHMIDTII defendit , E. S. CYPRIANUS .  
Nolim verò egomet Viro eruditissimo tribuere librum , con-  
tra quem protestatur. (b) Vide diff. nostram Anti-Bælianam  
2. p. 10. (c) l.c. p. 4. (d) p. 3. (e) p. 3.

dam communi , ubi termini aliter & juxta communem suum valorem sumuntur , judicium ferre.

VIII. Non potest admitti , quod (f) dicitur , c̄reaturas arctius inter se uniri posse , quam creaturam cum Deo.

IX. Nimis lata h̄ec est definitio unionis personalis quod sit consensus unicum totum cum humanitate componendi , ita ut utriusque proprietates & actiones & creature passiones toti composito tribui possint (g). Quo ipso tamen non existimamus , LIBERIUM unionem personalem in mero voluntatis consensu ponere , uti nonnemo existimavit.

X. Jam verò ad unionem personalem requiritur juxta recepram hypothesin 1. hypostaseos communicatio 2. ωντωντος. Consequens est naturarum , idiomatum , apostolatum communicatio. Et h̄ec unio sine dubio anterior est unione istâ consensuali.

XI. Scilicet unio ista consensualis , quæ est e. g. inter socios ejusdem societatis , non est unio hypostatica , sed parvatica , hoc est , Nestoriana (h).

XII. Rectè duas hasce propositiones , humana Christi natura habet & non habet suam subsistentiam secum invicem conciliavit in paradoxis Theologicis Vir eruditissimus JO. FABRICIUS (i).

XIII. Perpetuitatem humanæ Christi naturæ , quam nuper defendimus , in terminis effert Formula Concordia (k): Christus humanam naturam non depositus , sed in omnem eternitatem retinet.

XIV. Meditationes illas de fide & hæresi nuper in Saxoniâ confutatas ne vidimus quidem unquam , nec adhuc , quâ lingua scriptæ sint , scimus. Nihil prorsus nobis

G 3

cum

(f) p. 7. (g) p. 9. (h) p. 11. (i) ad p. 11. sqq. (k) Vir de ejus amicinitates Theologicas p. 455. (l) p. 767.

cum hoc libello commercii est. Itaque ergo indignum  
Viro probō facinus est, libellum & quidem talem, qui  
Socinianā dicitur fovere principia, nobis imputare.

XIV. Cum Fratribus altercari & Ecclesiam, inconsul-  
tis litibus satis haec tenus vastatam, novis disceptationibus  
lacerare, nec pietatis nec prudentiae est. Non nostra  
hæc est consuetudo, nec eorum, qui pacem Ecclesiae  
amant i. Cor. XI, 16. Satius est, generoso silentio &  
piâ mente injurias quasvis proculcare & condonare.  
Neo sanè est, quod novos Satanæ, quod novos hosti-  
bus religiosis veræ, qui dudum intestinas illas digladi-  
tiones nostras rident & nasis aduncis suspendunt, cachin-  
nos moveamus vel motos nuper sic augeamus.

XV. Tùm verò pessimè causam nostram ageremus nos,  
si & cum illis congrederemur, queis affectuum male com-  
positorum æstus, queis calami crassioris excessus, qui publi-  
cam animadversionem jam incurrit, queis convitia & ca-  
lumniæ loco armorum sunt, qui ridiculo modo judicium  
in nos privilegiumque infallibilitatis sibi sumunt, qui sen-  
tentiam nostram ne intelligunt quidem, qui nullo veritatis  
sed avitorum saltē præjudiciorum studio tanguntur, queis  
curta admodum judicii præstantioris solidæque scientiae su-  
pellex est. Haud enim verum pervidere valet animus, ubi  
hæc officiunt. Sic verò &, quod dudum diximus, in pra-  
xin ipsi deducimus novaque ista ratione sub initium sta-  
tim altercationi inconsultæ terminum ponimus.

XVI. Quod restat, fortis est veritas & suâ se luce de-  
fendit. Injuriæ verò & calumniæ, queis illa impetratur,  
fumorum ad instar pereunt, nec profectò animi nostri  
egregiâ prorsus conscientiâ divinâque gratiâ armati atque  
in Deo siti altampacem turbare valent unquam.



I, A

B. E. E.  
C. G. O.  
L. S.  
G. L.  
F. B.  
H. J. G.  
B. P.  
A. G.  
M. J. D.  
D.  
E. M.  
J. C.  
W. H.  
C. H.  
L.  
R. S.  
S. B.

